



ca 19





SUPER  
ODYSSEA HOMERICA

---

---

SCRIPSIT

DAVID. CHRIST. SEYBOLD.

A. M.

---



---

HALAE AD SALAM

APVD IO. IAC. CVRT.

MDCLXIX.

Ζευ πάτερ! αλλα συ β' υσται υπ' ηερος υιας Αχαιων,  
ποιησον δ' αιθρην, δος δ' οφθαλμοισιν ιδεσθαι.  
Εν δε Φαιη και ολεσσον.

ΙΛ. β'. 645.



**AD**

**VIRVM PERILLVSTREM  
CHRISTIAN. ADOLPHVM  
KLOTZIVM.**

# VIR PERILLVSTRIS,



Quamuis Homerum ab illo inde amauerim tempore, ex quo omnium bonarum litterarum initia ab antiquis veterum monumentis, et a Poeta maxime Graeco, facienda esse, non quidem a doctoribus meis, qui vel nihil tale, vel non tantum, quantum debebant, dixere, sed lectione librorum optimorum persuasum mihi esset: nunc tamen ad amorem hominis tantum accessit, quantum nunquam accedere posse credideram. Ille enim me, in prensandis magnorum Virorum manibus subtimidum, ad Te deduxit

xit, vt iuuenem, non doctrina quidem excellentem, at animi tamen bonitate et pectore contra superbulos sciolosque duro, cereo tamen in amicitiam flecti, sibi, vt sunt iuuenes, placentem, laudauit, et ita commendauit, vt, cuius nomen primum audiueras, nec videras vñquam, statim probares amaresque. Quod vti summo mihi honori est, ab eo Viro probari, qui et eruditio[n]is amplitudine elegantiaque celebratur, et in iudicando est acutissimus, eaque, quae Ipsi displicent, libere satis dicit omnibus: ita ex Tuo, Vir optime, amore voluptatem haurio incredibilem. Dum enim saepe fati, quod me in omnia alia, quam ego quidem velim, abducere tentat, quodque ab amoribus meis, i. e. litteris humanoribus, auelle-re minatur, malignitatem incuso, et saepe vel coelum taedet aspicere, dici non potest, quantum amicitiae Tuae memo-ria dulcique illo, quo ea me perfundit,

sensu erigar, atque ad hoc, quod iam  
ingressus sum, stadium percurrendum,  
genusque studiorum, quod placuit et  
placebit porro, persequendum confir-  
mer. Quare Te, ita me semper ames,  
rogo, vti summo cultu summaque  
veneratione, cuius hanc epistolam te-  
stem esse volui publicam, Te prosequi  
non desinam. Vale!

SEYBOLD.

Tubingae, d. 2. Sept.

1768.



## PRAEFATIO.

**S**ic nonnumquam laeti aliquid existimabat, quae nos initio terrebant, nascitur! Cum enim ante hunc annum publicum doctrinae meae specimen mos edere iuberet, inuitu pede et subtimide ad id, quod facere debebam, sum progressus. Ridebam quidem inepta virorum has litteras non intelligentium iudicia. at ut illi bene de meo labore iudicaturi essent, qui rerum periti censentur, vehementer timebam. Tandem tamen, aere pectora muniens triplici, ventis dare vela sum ausus, qui mibi, quam unquam vel somniare potuerim,

## P R A E F A T I O.

rim, fuere secundiores. Licet enim nihil forte ad studium litterarum humaniorum, etiam in illis terris, vbi iacent adhuc, subtilitatibus conceptae, diligentius colendum contulerim: Virorum tamen et doctrinae insignioris laude florentium et animi nobilitate clarissimorum amicitiam quod nactus sum, maximopere leator.

Illam igitur scriptiōnem meām vt denuo typis excudendam traderem, monuit me Vir amicissimus, Klotzius. Cui non obsequi nefas ratus, quaedam omisi, alia deleui correxique, nonnulla etiam, sed pauca admodum variis rebus impeditus, addidi. Itu Tu, quicumque haec legis, vale, et me, si Tibi non plane displiceo, ama!

---

Ego



Ego si scriptio[n]is huius inde ducerem  
exordia, ut Romanarum Graeca-  
rumque litterarum scientiam, i. e.  
eorum, qui iis linguis scripsere, si non om-  
nium, principum certe, lectionem accuratam  
repetitamque et ei, quem Ernestius, vir im-  
mortalis gloriae, instituit, Interpreti S. S. et  
Cuiacii Galenique discipulo et Philosopho vere  
ita dicto, necessariam esse ostenderem, et iis,  
quae in promtu habeo, quaeque animus miri-  
fice gestit apponere, nominibus aliquam digni-  
tatem libello huic conciliarem: porro, si litte-  
ras istas multis se non tam obtrudere, quam  
potius deliciis illis suis, velut Sirenum carmine,  
eos, qui omni, quod pulchrum est, pectus  
apertum habent, ad se allicere, et nihil,

A quam



quam a) plorare cum Soprocle, cum Euripi-  
de moerere, amare et ludere cum Anacreonte,  
rusticari cum Theocrito, terra relicta cum Pin-  
daro coelum petere, praelium inire cum Home-  
ro, ridere cum Flacco et Iuuenale, atque mo-  
res hominum obseruare cum Terentio, his igit-  
tur si nihil suauius esse dicerem: denique si  
neque nostris temporibus, neque huius aeta-  
tis hominibus indignam esse docerem lectio-  
nem scriptorum eorum, qui copiis praeyerant  
qui ad totius reip gubernacula sedebant, qui  
orationum fluminibus vniuersum populum in-  
sententias suas trahebant, quique principibus  
regibusque chari erant et amici; frigitur et vti-  
litatem litterarum Romanarum Graecarumque,  
et iucunditatem et dignitatem euincere fatage-  
rem: plurimi, quid hic veteres occinit fabel-  
las? indignabundi, et iure forsan, dicerent;  
multi vero magna me nec minus incredibilia  
proferre clamarent, quam si, aequa laudabile esse,  
docte cum Mengsio de Raphaelis, Corregii,  
Titianique tabulis, quam de pulchritudine li-  
bri carminisue iudicare, affirmarem. Quid  
igitur? pugnem heic contra eos? at hoc huius  
loci non est, et pugnarunt iam alii. Cum ve-  
ro contemptus huius illum praecipuum esse  
videam fontem, quod in antiquis scripto-  
ribus,

② III. Klotz. Epist. H. p. 18.

ribus; poëtis maxime, solas verborum compositiones, membrorum inter se iuncturam, particularum vim, paucis, sola ea, quae ad grammaticam pertinent, quaerenda esse quidam putent: de totius vero corporis compositione, de partium inter se coniunctione apta, de morum conuenientia, de eo, quod furor poëticus dicitur, et de aliis, quae poëtam constituunt, silentium agant altissimum: id iam vnum agam, vt exemplum, quo, quid in poëta videndum sit, appareat, producam. Quis vero possum illustrius, quam Homerum, illum omnium litterarum Patrem Oceanum? Sed heic, quam graue his humeris onus imposuerim, sentio. Impudens essem, nisi me illi parrem esse negarem. Quare si aequi rerum iudices me non quidem Homericæ Odysseæ artem exhausisse, quis enim hoc potest? sed vnam tantum alteramue manum aqua repletam ex hoc mari, poëtae mei amatoribus, velut ille regi Persarum, donum attulisse, i. e. non votis quidem, sed viribus tamen satisfecisse iudicabunt: hunc animum plura, quam efficit, effecta dare cupientem satis laudabunt. Homerum in quibusdam reprehendere sum ausus, tum, non vt reprehendam, sed vt hac ratione quosdam ad locum accuratius excutiendum meque edocendum impellam, tum quia





εγω - - - κατ  
 χθονι γυια καλυψαι -  
 μι αινεων αινηται, μοι -  
 Φαν δεπισπειρων - - b)

iis, quae non laudari posse videntur. Ceterum erunt, vel potius, quod scio, sunt, qui, quod nonnunquam calidius virtutes praedicem Homericas, reprehendant. Hi, quid cum carmine assurgere, quid in medio Musarum Apollinisque, citharam pulsantis, choroversari, cumque ipso vate diuini ignis particulas concipere; quae quantaquae haec voluptas sentiatur, nesciunt, et, qui nesciant semper, haud sunt indigni. Illam enim lectionis bonorum librorum voluptatem semper esse duxi maximam, eorum, quos legimus, quique nobis placent, spiritum quasi induere, cumque illis modo super humana omnia, diuitias, honores, splendorem, fortunam, digna animis humilioribus pabula! extolli, modo Gratiarum iocantium choris interesse, cum laeto Apolline canere, ridere, osculari. Si Moseros, Zimermannos, Basedouios, ciuem principemque monentes ac docentes, communibus morborum stragibus, a misella plebe medica, inter infeli-

b) Pind. Nem. VIII. 64.

infelices hoc nomine agricolas, editis magno  
animo resistentes, scholarum denique sordes  
eiiciendo melius, quam adhuc factum est, et,  
absit omen! diu adhuc fier, iuuenes erudiendi  
consilia dantes video, ah! tum, alte ingentem  
doctorum opificum plebem despiciens, et ciuem  
me natum sentio, tum

— — aeternum meditans decus  
Stellis (inferor) et concilio Iouis.

— — — —  
Nil paruum aut humili modo  
Nil mortale loquor. Dulce periculum est

hos sequi deos. Cum vero a curis his altioribus,  
et a laboribus inprimis, quos saeva Necesitas,  
vnco me suo clauoque trabali perse-  
quens, imposuit, relaxandus est animus: tum  
vero totum me in laetioris, quae Anacreon-  
tem Theocritumue amabat, Musae brachia con-  
cicio. Illi, qui non legendum quidquam putant,  
quem vnde realem, vt bene vocant, utilita-  
tem habent, qui multo cum sudore hos illosue  
Chronologos dissentientes nonnihil conciliant, aut  
vastis scriptorum voluminibus consarcinatis om-  
nibusque Lauterbachii Strykiique scriptis eu-  
lutis, magnam super agello, tribus capillis suf-  
ficiente, litem dissoluunt; illi vero has nobis in-

A 3                      uide-



uideant delicias! Quam suave, quaeso, est,  
 versari Gesneri inter pastores atque pueras;  
 Quam suave, virum illum, quem Gratiae  
 ipsae suis leporibus ornauere, Deorum Dea-  
 rumque hominumque furta et iocos *narran-tem*  
*audire!* quam suave illi vatum bigae,  
 amicissime inter se confabulanti omnesque ami-  
 citiae dulcedines gustanti, interesse! Quos  
 Viros omnes, quis non magni aestimet, colat,  
 veneretur, aut, quod equidem maius duxerim,  
 quis non amet? -- Sed iam ad Homerum!  
 in cuius carmine examinando si erraui: quid  
 tum? errarunt alii μειζον το γενειον εχοντες,  
 utque, qui viderint errantem, moneant, rogo.  
 Eam modo (modo hoc votum ne nimis sit  
 audax!) quam Vlyssi poëta dedit Gratiam, Ge-  
 nius Homeri huic adiungat scriptioni, quae illi

Φεσπετην καταχευε Χαριν - -  
 Και μιν μακροτεραν και πασσονα Θηνεν ιθεσθαι,  
 ως κεν - Φιλη παντεσσι γενοιτο  
 δεινη ταιδοιητε και ειτελεσειν αεδλας  
 πολλας - -

### *De Odyssaea in genere.*

Atque illud quidem, quod diximus, agen-  
 tibus in fronte occurrit quaestio illa, non an  
 pri-



prior scripta sit Ilias, quam otiosis capitibus  
relinquimus cum illis, maiorne fuerit Helena,  
quam Hecuba *c)*, Vlysses vbi errauerit, vtrum  
intra Italiam et Siciliam iactatus sit, an extra  
notum nobis orbem? et quae sunt hisce simi-  
lia; sed num Odysseae praferenda sit Ilias, an  
huic ista: quam quidem comparationem si ita  
institueremus, vti illam Homerum inter et  
Virgilium instituit Rapinus, *d)* satis cito  
Odysseae possemus palmam dare. Quae Achilles  
fecit, quod succensuit Achilles Agamemnoni,  
quod secessit ab exercitu Graecorum, nonne  
haec in perniciem euenerit ciuium? et Vlysses  
id tantum egit, id pugnauit, vt patriam attin-  
geret, vt socios malis eriperet, domumque ac  
coniugem a procis liberaret impudentissimis.  
Sequitur hinc atque conficitur, magis Vlyssem  
virtuti deditum fuisse, quam Achillem, eius  
mores magis, quam huius, ad formandum iu-  
uenem facere, virtutisque amorem allicere, et  
hinc -- carmen etiam Odysseae praferendum  
esse. Ilicet! actum est. Gratias tibi magnas  
habemus, opime Rapine, qui certamine illo  
tuo, quod, te signum tuba dante et ambas

A 4

buc-

*c)* Seneca, Epist. I. 88. p. 737.

*d)* Vergleichung Homers und Virgils, übersetzt von  
einen adelichen Jungling. 1766.



buccas Φορβειας ατερ inflante, inter maximo-  
rum poetarum bigam commissum est, Homeri  
Vlysses qua arte tandem supplantare potuerit  
Achillem, docueris. Sed de hoc libello for-  
san alias. Nunc redimus ad eam, quam po-  
suimus, quaeſtione, vbi quidem post illa,  
quae Clodius, Vir celeberrimus, disputa-  
uit e) breuibus nobis esse licebit. Signum hu-  
ius pugnae dedit Longinus f) qui in Odyssea  
desiderauit αυτην πνευματος illam, quae in  
Iliade spiret, secumque nos auferat g). Quod  
de Homero iudicium cum minus placeret Da-  
cieriae, Popio et Clarkio, quauis ratione defend-  
ere Odysseam tentarunt. Sed, vt vbique,  
ita et hic, abiectis auctoritatibus, quid huius  
rei sit, videamus. Primo igitur, quod ad  
mate-

e) diff. de ſublim. Hom. p. 22.

f) περι υψ. τμ. 9. p. 66. quem fecuti multi sunt,  
in his Magius, qui ad Cornel. Nep. p. 279. ed.  
Stav. confidenter satis dicit: nemini fuisse obſcu-  
rum, Iliada praeferendam esse Odysseae.

g) eandem desiderat Auctoꝝ Epift. XX. in den Brie-  
fen über die Merkw. der Litter. p. 408. qui ita: ich  
getraue mir iezt die Vrsache anzugeben, warum die  
Kunſtrichter und Leſer von Geschmak mehr Einwürfe  
wider die Odyssee, als wider die Ilias ausgeſunden  
haben. Homer iſt in jener, wo möglich, noch er-  
findungsreicher, als in dieser; Die Fabeln der Odys-  
see sind amusanter, reizender, lehrreicher, wichti-  
ger,

materiam carminis vtriusque spectat, est illa quidem valde diuersa. In Iliade perpetua fere sunt praelia, rixae, certamina singularia, ludi funebres a viris fortissimis celebrati, orationes heroum vel se inuicem exhortantium, vel consultantium inter se, vel cum hostibus colloquentium, omninoque ea deprehendimus omnia, quae strepitum, clamores, tumultum excitent. At in odyssea quid canitur? Itinera, errores, dolores Vlyssis. Vtrumque carmen coeptum semel lectorem suum capit, sed diuersa vtrumque ratione. Illud attonitum quasi facit rerum gestarum magnitudine; hoc leni illo suo et aequabili tractu delectat, recreat. Sic ille quidem recte desiderari videtur in Odyssea impetus, ille vigor, ille εὐθυσιασμός, qui in Iliade nos modo in Deorum rapit concilium, modo in castris vel Graecis vel Troianis fistit, modo nos in praeliis facit depugnantes.

A 5 tes.

*ger, als die Fabeln der Ilias. Wenn das dichterische Genie in der Erfindung, in der Oeconomie des Ganzen, in der Neubheit, in dem Original-Schwunge bestünde: warum gesiele uns ienes Gedicht weniger, als dieses? ist es nicht der Mangel einer unwiderrücklichen Inspiration, der uns erkalten lässt, und uns unzufrieden macht, obne, dass wir eigentlich sagen können, warum? Man merkt an dem Urheber der Odyssee den alternden, obgleich ungemeinen Geist, man merkt den weisen Mann, aber nicht mehr den Dichter der Ilias.*

❧      ❧      ❧

tes. Sed et illud verum est, ipsam Odysseae materiam minus ardori illi vel furori fuisse aptam. Deinde se ipsas carminis personas principes comparamus, inuenimus in ea Vlyssem, patientem illum et tranquillum, non Achillem importunum, inexorabilem, acrem, cuius mores vehementes vti multis magis placent, quam illius lenes et placidi *b)*; ita similiter Odysseam postponi suspicor Iliadi. Nam quamuis in utroque poëmate omnia, quae fiunt, ortum ducant ab amore, non quidem ita, vt in Virgilii vel Didone vel Turno, se prodente, sed latente illo et modo tum ex litibus, quae ob raptam Brianda ortae sunt, tum ex tumultu, quem procorum in Vlyssis aedibus ob Penelopen commoratio excitauit, colligendo: non tamen idem effectum dedit amor utriusque. Achillem fas erat grauissime irasci, furere, coelum terraque miscere: at Vlysses, quam amabat, vxorem calliditate potius, quam vi, nisi vbi opus esset, e procorum manibus liberare tentabat. Qua via quidem nihil tam vehemens, tam concitatum producitnr, quam vbi aliquid armis tentatur, sed aeque tamen sublimia possunt produci. Miramur omnino virum illum terribilem, qui solo sui adspectu Troianorum terreat

*b)* Abtii lib. vom Verdienste, p. 110.

reat exercitum, solus fere totum illum repel-  
 lat, qui vel cum Diis audeat decernere. At  
 et tuam, Vlysses, patientem admiramus ma-  
 gitudinem. Illius virtutes primo quidem in-  
 tuitu p[re]ae splendore oculos fere p[re]astrigunt,  
 accuratius vero et subinde proprius consideratae  
 minus lucent. Tuae vero, quod sublimitatis  
 verae signum est, quo saepius spectantur, eo  
 placent magis. Denique cum Achilles Deae  
 esset filius, non vna tantum Minerua in scena  
 se ostentabat, sed omnes ille Deos secum in  
 praelia ducebat. Iupiter ipse non in vltima  
 solum pugna, sed et maxime in ea, quae ad  
 naues geritur, in Idam descendit, quomodo  
 pugnetur, attendit, mox fulmen mittit, mox  
 Iridem, et sic non pugnae modo, sed et eius  
 descriptioni quam maximum dedit splendorem.  
 At Vlysses, ille non Dei Deae filius, solam  
 comitem habet Mineruam, altam quietem in  
 Odyssea agit Iupiter, bis terue modo de rebus  
 eius consultat, et praeter Neptunum Mercuriumque  
 reliqui Dii maiorum gentium conquie-  
 scunt omnes. Sed forte et hoc, quod Homer  
 us non plures Deos introduxit, illaesa simpli-  
 citate, et quod, vt infra videbimus, Ne-  
 ptunum, qui in carmine appetet, non satis de-  
 dit efficacem, senescens prodit poëtae inge-  
 nium. Quare nihil addo, nisi id quod obser-  
 uauit



uauit Hagodarnius *i*), quem quae artibus elegantioribus praest Dea, in splendorem earum nasci voluit: Odysseam mitiorem picturaeque linearis benigniorem materiem dare, quam Iliada. Ceterum Odysseam inuestigandam mihi sumfii, quia pauciores super illa scripserunt, vel potius nemo copiosius. Ab aliis enim precario sumere, non meum est. In iis, quae ipse cogitando excutere necesse habui, errare malo, quam in omnibus ab aliorum pendere sententiis.

### CAP. I.

#### *De personis Odysseae, et quidem I. de Vlysse.*

**V**lysses cum princeps carminis persona sit, age iam de eo pressius agamus. Est ille non Dei Deaeue filius; pater erat Läertes, qui adhucdum, cum rediisset, viuebat. Generis se fuisse haud obscuro, ipse prodit, stirpemque a Ioue deducit *k*), et ex Pierio docet Herc. Ciofanus *l*), signum huius nobilitatis esse pileum, quo plerumque caput Vlyssis solitus

*i*) *Betr. üb. d. Mahl.* p. 38.

*k*) *Met. Ovid XIII. 142.*

*l*) *ad loc. Ouid. laud. p. 233. ed. Plant. conf. Heiod. p. m. 246.*

let pingi, vt auctor est Plinius *m*). Ovidius *n*) vult eum minus formosum fuisse et Philostratus *o*) depingit vt υποσιμον και 8 μεγαν και πεπλωνημενον τρες οΦθαλμες; immo caluum fuisse ex Synesiodocet Hadr. Iunius *p*). At laudat eius formam Homerus, non quidem depingens, quali sit facie, sura, pede, dente, capillo, vt imperiti quidam *q*) poetae faciunt: sed hinc inde vnam quasi pulchrae formae lineam dicit *r*), lectorique voluptatem, tum vniuersam pulchritudinis imaginem colligendi, tum, quae describenda restabant, ex ingenio supplendi, relinquit. Hinc modo maiestatem corporis *s*), in primis cum sederet *t*), illi tri-

*m*) H. Nat. XXXV. 22. T. II. p. 700. ed. Hard. sic et apparel in gemma Dactyl. Lippert. T. II Chil II. p. 50. cf. tabula, quam dedit Drakenb. ad Sil. It. p. 6 37.

*n*) AA. II. 123.

*o*) Operum. p. 717.

*p*) Comment. de Coma, p. 429.

*q*) conf. Doruil. ad Charit. p. 163.

*r*) ex Hom. puto, Baumgartenius, Vir egregie de litteris nostris meritus, regulam suam Aesthet. P. II. p. 434. §. 658. datam deduxit.

*s*) A. γ. 194.

*t*) ib. 211.



tribuit, modo comam *ναυπιθινην* u), modo aliam pulchritudinis partem. at suis quidque locis decenter. Cum in concilio est, maiestate excellit corporis, membrorum robur in circo exserit, nitente forma gaudet apud pueras, v) sic, ut vel Nausicaa, regis Alcinoi filia pulcherrima, talem sibi maritum optauerit w). Fuerit autem vere deformis: nunquam enim cum quoquam litigabo; nam aequi mihi hoc curae est, ac, vtrum Turnus flauum crinem habuerit, an vero nigrum? Fuerit igitur deformis: quid tum? Homerus pulchrum esse voluit, neque id sine ratione voluit. Nam et externa corporis forma studia ciuium suorum, pulchritudinis amantium, conciliare ipsi animus erat. Verum uti Lessingio, Viro Dotissimo x), pulchritudinem non solam lectoribus

u) comam *ναυπιθινην* esse nigram vult, praeter Eustath. ad h. l. Huet Epist. ad Labbaeum, Diff. quas Tilladetus edidit, T. II. p. 394. cui accedit Doruil. ad Charit. p. 545. et Moses Solanus ad Luci. T. II. p. 426. Vir Doct. Heynius ad Virgil. Ecl. II. p. 16. conf. Plinius, H. N. XXXVII. 41. p. 784. Olear. ad Philostr. p. 694. Locus Hmericus est ad. §. 230. al.

v) §. 237.

w) §. 244.

x) Laoc. p. 29. conf. tamen, quae III. Klotzius A&T. Litt. Tom. III. p. 292. ad h. l. ait. Est enim om-

būs conciliare Heroem, crediderim, manu quoque minus, quam lingua valuisse, Pho-  
tio y) concesserim: ita neque summum pul-  
chritudinis exemplar Homerum in Vlysse di-  
cimus posuisse, sed animi potius ingenijque  
dotibus eum illustrem charumque amicis reddi-  
disse. Et quae sunt illae dotes? inforinemus  
animi imaginem! z) Est princeps patriae  
amans, quam asperam, et in faxis, tanquam  
nidulum, affixam pulcherimis Circes et Calyp-  
sus insulis anteponit: est quoque amantissimus  
vxoris, patris senis, filii, ciuiumque omnium,  
itineris maxime sociorum. Consiliorum est  
abundans, prudentemque se gerit in periculis.  
Sed eloquentia tamen valet maxime. Sistit  
eum poeta, ut πολλη και πυκνη δεινοτης οεχ-

εη-

omnino haec ars poëtarum. quis nescit Aeneam  
os humerosque Deo similem? quis Homeri nostri  
Achillem in ornibus Graecis pulcherrimum? quis  
Penthesileam iacentem defleret, nisi Dianaे si-  
milis iacuisset? (ap. Quint. Cal. a. 66.)

y) Epist. CXLII. p. 199.

z) Personatus Proteſilaus, s. potius Philoſtratus p.  
712. accusat eum infidiarum et calumniae, queis  
petierit Palamedem et Achillem; caneque peio-  
rem dicit, p. 680. fraudes apud Ouid. Met. XIII.  
32. 44. 56. 103. obiicit Ajax; idem quoque timi-  
ditatem. V. 64. coll. Quint. Cal. V. 186. scelera  
Sinon, ap. Virg. II. 164. sed haec poëtam non  
tenent.



*en̄menov.* a) Copiam rationis satis ostendit verba faciens ad Achillem, quae iam oratio heic quidem ad nos non pertinet. Quam πυκνως fuerit locutus, videbit, qui vel duas orationes considerauerit, vnam, qua paucissimis quidem verbis, at iis grauibus urgentibusque redditum roget Auretem, b) alteram, qua procos magno verborum eoque conuoluto pondere obiurgat, adeoque perturbat, ut quid agant, quo fugiant, nesciant. c) Quamuis autem manu fuerit strenuus, vt appareat ex Iliade: non tam fortē eum praecipue dare voluit in Odyssaea Homerus. Neque vñquam habebat, excepta procorum caede, vbi talem se ostenderet. Nam vbi libro vltimo iam ad arma ventum erat, bellum interuentu potius Mineruae, et ex machina quasi, quam Vlyssis fortitudine, diremptum est. Quare vbique fere calliditate potius d), quam vi se expedit ex augustiis.

In

a) Aut. Poëſ. Hom. Opp. T. V. p. 225

b) S. 146.

c) X. 35.

d) Calliditate se omnes superare, ipse gloriatur *ο. 1. 19. coll. v. 396.* quae sui ipsius laus in h. l. non est reprehendenta. Saepe poëtae heroas suos suis iporum verbis laudant. Vnum locum apponam ex Charit, β. p. 29. Διεγνωσις ειμι Μιλησιων πρωτος,

σχε-

In laboribus erat indefessus, siti famisque patientissimus, aduersis rerum vndis immersabilis, generosus, b) Deorum, Mineruae maxime, cultor pius. Sed quid *χαρωπτης* eius colligere satago? ipse nobis sapiens ille senex initio dedit operis, c) simulque normam, ad quam omnes herois res gestas, vtrum moribus eius respondeant, nec ne? examinare possumus. Quod qui fecerit, ubique eum sui similem deprehendet

Atque ita iis, quae ad Vlyssem pertinebant, consideratis, ad reliquias personas perueni-

*σχεδον δε και της ολης Ιωνεις, επ' ευθεβαις και φιλανθρωπικοις δικαιοντος,* Vbi vid. Doruill. p. 184. idemque Obs. Misc. Vol. I. T. I. p. 19. vbi locum similem Virg. defendit: de quo quidem aliter sentit Homius, Crit. T. II. p. 173. Cap. XVI. conf. Pier-  
son. Verisim. p. 206.

b) Vnum exemplum proferam ex Od. v. 183. Melan-  
thius Vlyssi, Domino, longiusculam in domo  
ipsius commorationem exprobrat, eumque iubet  
exire. Quid Vlysses contra? num plagis homi-  
nem excipit? num convicia regerit? tantum abest,  
vt ne respondeat quidem. En animi huius magni-  
tudinem! quam quoque iam antea mirabamur  
p. 238.

c) αυδρ μ. ενν. M. πολυτροπον (calliditas) ος μ. πο-  
πλ. - - - πολλ. διανθρ. id. ας. και γεον εγγυων (pru-  
den-

## B



uenimus: quibus eo minus immorabimur, cum ex iis non summa rerum, vt ex Vlyffe, sed pars tantum carminis pendeat. Primus occurrit Telemachus, qui cum iuuenis adhuc esset XX annorum, comitem ei Mineruam iungit poëta: hinc vbiique prudentem se gerit formaque et intrepidum, libro maxime vltimo *d)* cum iam ad arma sprectarent omnia. Ceterum est amans patris, cuius redditum vehementissime optat, matrisque, *e)* cuius doles quacunque ratione lenire tentat.

Penelopen: o si proferre possem illam Zeuxidis! Penelopen Homerus proponit, vt castissimam, quae princeps coniugis virtus est. nec video, vnde Tollius *f)* nominare eam possit impudicam. in Poeta certe ne vestigium quidem

δοῦλα δ' οὐ εὐ ποντῷ πατέεν αλγεῖ οὐ η  
 (aduersis rerum immersabilis vndis) αργεῖ, η τε φυγεῖ  
 κ. νοσού επαιρετού (ciuium et sociorum amor) αρρεῖ  
 ροῦ - - - - - κεχρημένον ηδὲ γυναικος (amor vxoris).  
 Quam προνομία Homerici virtutem nescio an quis obseruauerit.

*d)* v. 510.

*e)* Posset quidem obiici locus *ob. n. 356.* vbi matrem ad negotia sua reuerti iubet filius, sed, puto, defendantus est lege Graecorum. qua viduae (*et talis habenda erat Penelope*) in filii puberis potestate erant. vid. Meurs. Themis Att. p. 82.

*f)* Animad. Crit. ad Longin. p. 372

dem deprehenditur. Est igitur fida coniux et mater *g)* ac talis vbiique appareret, siue mariti filiique absentiam lugeat, siue procos moras neciendo ludat, siue hos reprehendat tumultuentes. Immo mortem optat, vt modo maritum in Plutonis regno possit videre. (*ad.* XX. 80.)

Tertius in scenam prodeat Eumaeus. Quid hic συβωτης? ταντα εχ νβεις? inquit fortasse aliquis nasi delicatioris, qui hunc cum nostris huius generis hominibus comparet, huiusque fortunam aequem tenuem fuisse iudicet. At sci-  
at, morum veterum simplicitatem non ad ele-  
gantiam nostrorum exigendam esse, in quo

B 2 mul-

*g)* vid. Luci. T. II. p. 478. Quaerat aliquis, an pulchra fuerit? cur οηγει nulla causa est, est potius, cur affirmem. Non quidem, vt Anacteon pueram suam, nobis eam H. depingit, et τε παυ-  
τος προτικη περιγραφη και παρεια το απαλον, και  
για συμμετρον (vt Lucianus ait Imag. c. 6. T. II.  
p. 464.) et quid non? describit: sed ex desiderio  
procorum τε παρει λεξεσσι κλιθηαι, et quod Dia-  
nae Venerie assimilatur (*ad.* p. 37.) non defor-  
mem fuisse appetet. Ceterum et hoc notandum  
est, non gracilem eam dare poëtam vt patet ex *ad.*  
*φ.* 6. nam Homero, vt ait Quintil. Instit. XII. 10.  
p. 621. etiam validissima quaque forma in femi-  
nis placet. conf. Winkelmanni Ged. von der Nach.  
Gr. Werke, p. 74.



multi errant. b) Subulcus igitur hic non tam ipse sues custodiuit, quam potius supremam rei pecuriae curam habuit i). Homerus saepius eum vocat ορχαμον αυδεων, quod quidem Schol. επι τη ευγενεια k) ridicule interpretatur; placetque Eustathius, qui eum vocat αρχοντα δελων επερων. His si addideris, fidissimum fuisse ciuem, non erat sane, Telemachum cureius puderer. Homeri aetate, inquit Moeferus l) elegantis Vir ingenii, quiue acumine suo non parum nos delectauit; aulam principum minus fuisse splendidam vel ex eo apparet, quod Telemachus familiariter vtebatur, bubulco, i. e. Philaetio. De hoc enim idem,

b) vid. Rollin. de ratione disc. et doc. litt. eleg. T. I. p. 457. coll. p. 489. Gerard Vers. über den Geschm. P. II. p. 136.

i) od. ξ. 3. ο οι βιοτοι μαλισα ιηδετο οικηων.

k) Barnesius quoque generis nobilitatem ex επιθετω δους elicit. At quamvis verbum h. sensum h. habere non negem. ex. gr. od. γ. 266. vti et α. γ. 352. ita interpretari malim, quam contortam Eustathii rationem inire: id tamen in Hom. recte obseruasse videtur Max. Tyr. diss. ηβ. p. 126. ed. Heins P. idem illud denotare, quod v. αγαθος. In etymo vero addito nostrae aetatis grammaticum olet.

l) Harlekin, oder Abhandlung von dem groteske-Komischen, p. 67.

idem, quod de Eumaeo valet. Fuit igitur vterque ciuis bonus, principique in tanta rerum Ithacensium confusione in primis fidus, prudens quoque, nec consilii inops: insuper et manu haud imbellum fuisse, caedes procorum docet.

Irruant denique proci, de quibus quid aliud dici potest, quam quod Horatius tum de illis ipsis, tum de Alcinoi filiis, <sup>m)</sup> dixit, esse iuuenes, fruges consumere natos, nebulones, in cute curanda plus aequo operatos, queis pulchrum fuerit in medios dormire dies, et ad strepitum citharae cessatum ducere curam. <sup>n)</sup> Sed latius haec patent, et ad plures forte, quam ad procos Penelopes extendi possunt. Ceterum et de Alcinoo et de Arete et Nausicaa et aliis aliquid dicendum erat: sed mittimus eos, qui non per totum poëma, sed in parte tantum eius apparent; et quid cuique

B 3 per-

<sup>m)</sup> Epist. I. 2, 27.

<sup>n)</sup> Bentl. legi vult: cessantem ducere somnum, quam leſt. probare videtur Clark. ad *ad. 9.* 248. Ceterum de leſt. editionis Venetae et Locheriae (cessantum ducere curam) nihil dicit ille. Interpretantur, otiosorum habere curam: quod idem est, ac si dixeris, nullam cur. hab. qui sensus bonus est.



personae vel splendoris vel umbrae dederit  
Poëta, videmus,

Pictores, illi poëtarum fratres, in tabulis suis, vti sciunt vel leues picturarum spectatores, alia plena sub luce videri volunt, alia obscurum amare iubent. Age profer celebrem illam Laireffii tabulam. o) Seleucus I. Stratonicem coniugem Antiocho, filio, pae amore in nouercam febre ardenti, praesente medico eodemque sacerdote, tradit. Quae est persona princeps? non sine iudicio voluit eam esse Stratonicem. At haec quam plena luce coruscat! Minus illustratus est ituenis regius; qui cum per se plurimum lucis accipere debuisset, et tamen maximam illius partem reginae pulcherrimae magis, quam aegrotanti Antiocho, dari conueniret: eum pictor ita expressit, vt qui sit eius animae status facillime possis diuinare. Denique Erisistratus minimum quidem lucis habet, at ea, quae agere eum iubet officium, latere illum non sinunt. Porro, in notissima illa Timanthis de Iphigeniae immolatio ne p) tabula, quae sit lucis et umbrae ratio, quae-

o) describit eam Winkelmannus V. Cel. et Doct. Gedanken von der Nachahmung griechischer Werke, p. 76. laudatque artem descriptionis Ill. Haged. Betr. p. 468.


p) Vid. Vir Ill. Hagedornius, Betrachtung über die Mahl.

quaeramus q). Luce, *ως εινος*, eminent Iphi-  
genia in rogo iam posita, quae ut eo maiori  
luce coruscet, sacerdos nube superimpen-  
dente aliquantum obumbratur, ita tamen, ut  
ipsa eius persona resque facienda satis eum at-  
tentione dignum demonstret. Non procul

B 4 hinc,

*Mahl.* P. I. p. 170. et quos dedit Doct. Klotz  
Epist. Hom. p. 273. qui ibi de expressione luctus  
agit, et maxime de obuelato Agamemnonis vultu,  
caussamque in desperationem artificis de expri-  
menda satis tristitia reicit: quem sequitur Bode-  
nus, V. C. Comment. II. de vmbra. poët. p. XXII. et  
sic quoque senserunt Dolcius, *Gespräch über die  
Mahl. in der Sammlung vermischter Schriften, 1ste  
Betracht.* istes St. p. 118. et Webb, *Untersuchung  
über Schönheit in der Mahl.* p. 157. 190. Alter  
sentit Lessing. Laoc. p. 18. f. et ob male defor-  
matum doloris nimis magni expressione vultum  
potius illum a Timanthe obuolutum iudicat. Suc-  
currunt Niobe ap Winkelm. Palaeol. Art. P. II.  
p. 338. Additus est filii filius, duaeque filiae, qua-  
rum una brachio vultum, et cum vultu dolorem  
tegit. Ais, desperasse in exprimenda tristitia ar-  
tificem: cur non in sorore desperauit? vel inde-  
corum fuisset, inquis, summum doloris gradum ex-  
primere, cur non indecorum erat in altera? cu-  
jus luctus aequem magnus esse debebat. Quid igi-  
tur? Diiudicent docti, mihi in his sacris vel leui-  
ter vel plane non initiatu dubitando discere liceat!  
Legantur, quae acute obseruata sunt in V. Cl.  
Riedelii Theorie, S. 136.

q) Ante oculos habemus eam delineationem, quae  
praemissa est libro Winkelmanni *Gedanken von der  
Nach. Gr. W.*



hinc, auerso, vt fere omnes, vultu obuelato-  
que spectandus est Agmemnon, ille quidem  
non minus illustratus, sed ita tamen, vt eum  
non personam principem esse ex oculis spectan-  
tium, qui in Iphigenia defixi sunt, appareat.  
Agamemnoni a tergo stant duces Achaei, in  
quibus dignoscitur Vlysses, vel potius Mene-  
laus, patruus; qui ex parte apparent, ex par-  
te latent. Militum turba tota in vmbbris deli-  
tescit. Eandem artem sine dubio obseruare  
erat in pictura Poussini de Germanici mor-  
te <sup>r)</sup>. Sed properandum est ad poëtam,  
qui in carminibus suis egregie lucem et um-  
bram dispensauit, in qua arte principem eum  
appellat Bödenus <sup>s)</sup>. Sic cum in Iliade plu-  
res heroas aut aeque fortes aut parum fortitu-  
dine sibi cedentes inuicem haberet, vnum ve-  
ro Achillem omnibus superiorem; <sup>t)</sup> Diome-  
dem quidem in prima maxime pugna spectari  
voluit, resque gestas summas illi adscripsit;  
Vlyssem nocturno furto adhibuit; Aiacem fere  
vnum in praelio, ante Achillis in pugnam re-  
ditum

<sup>r)</sup> vid. du Bos *kritische Betracht.* über die Poes. und  
Mabl. P. I. p. 350. p. 77.

<sup>s)</sup> Comment. II. de vmb. poet. p. 32.

<sup>t)</sup> conf. Battes. *Einleit. in die schönen Wissenschaften*,  
P. II. p. 105.

ditum commisso, Hectori, omnibusque Troianis opposuit: Achillem *u*) vero non solum per totum carmen, vt Clarkius ad nauseam fere inculcauit, et male Rapinus negauit, *v*) spectat, sed et reliquorum fortitudinem deprimit, vno illo produc̄to, quem Hector cumque eo Troiani omnes, quos contra nihil fere efficere poterant reliqui, fugiebant. Atque in praelio, quod est in Iliade ultimum, ne vnam quidem rem aut a Diomede aut Aiace gestam memorat: Achilli vni tribuit omnia. Ita tunc in eo totus est: ita vnum illum honorat! Quid maius est arte illa, qua in Helenes et Paridis persona vtitur? Nonne ob illam belli incendium excitatum est? nonne hic filius regius est, aequae vti Hector? nonne vtriusque pulchritudo celebratissima erat? annon igitur principes personae esse debebant? Certe iurauerim fere, non defuturos fuisse, qui errorem hunc errassent. Cum enim multi heroas suos in omnibus rebus ad summum fastigium enectos nobis ostentent, et aequae fortes ac pulchros, aequae sapientes, ac virtuti deditos, aequae generosos, ac sapientes, et quales non? dent: quidni Helena vbique, tam in Troianorum

B 5

vrbe

*u*) vid. Homius Crit. P. III. p. 239.

*v*) Vergl. *u*. Virg. 37.



vrbe et exercitu, quam in Gtaecorum castris  
mirabilia forma sua effecisset, et Paris, tan-  
quam alter Pyrgopolinices, solo afflatu totas  
legiones difflasset? At Homero, simplici illi  
seni, sufficiebat Helenam in XXIV. libris ter-  
tantum produxisse, et semel tantum ita, vt  
forma suali quid efficeret *x*). Vbi licet illam  
odio dignam fuisse non negemus, arte tamen  
illa, qua eam culpam suam confidentem indu-  
cit, id efficit, vt quiuis facile illi ignoscat.  
Quid Paris? in primo exercituum concursu  
iacantem eum videas, immo et Graecorum  
fortissimos prouocantem:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?  
vix conspecto Menelao, vbi Paris? Euanuit  
profecto, i. e. post milites latet. Obiurgatus  
deinde ab Hectore prodit iterum et cum Me-  
nelao suscipit *μονομάχων* *y*). Hercle vero!  
pro-

*x*) *Δ. γ.* 156, ad autem l. vid. Clark et Lessing Laoc.  
p. 215. locum illum ante oculos habuisse videtur  
Charit. *γ.* p. 44. lin. 25. 26.

*y*) Hanc quod Priamus non spectauit; sed in urbem  
reuersus est, laudat III. Klotz. Ep. H. p. 280,  
et ex hoc paternum animum optime elucescere  
iudicat. Quare mirari fere subit in Homero,  
quod non solum Patrem, sed et matrem specta-  
tores facit caedis Hectoris, filii; quem vterque  
parens summopere amabant, et magis amabant,  
quam Paridem. An vt testes essent virtutis Hepto-  
rae? an vt scenam faceret flebiliorem?

prodiisse tantum et depugnasse videtur, vt  
Venus habeat, quem nebula circumfundat et  
abripiat z). Postea quidem in praelium re-  
uersus vulnerat Diomedem, at ex insidiis, i. e.  
post columnam latens a), quod non est viri for-  
tis. Machaonem quoque non minus b) vul-  
nerat. Denique quidem interficit Euchenor-  
em c) at de plebe militem: quod tanti non  
est. Haec de luce, qua in Iliade splendet  
Achilles, et de vmbra, per quam, quasi per  
transennam, conspicitur Paris cum Helena.  
Ipsam iam euoluimus Odysseam, in qua mi-  
nore arte, quam in altero illo carmine opus  
erat. Solus enim fere est Vlysses, quem spe-  
ctare debebat poëta. Filius enim, Eumaeus,  
Penelope per se plus lucis poscere non pote-  
rant. Ille igitur statim ab initio apparet. De  
eius enim reditu in concilio Deorum d) deli-  
beratur. At finito illo per totos 4. libros  
eu-


z) de vmbra hac vid. Lessing. Laoc. p. 137.

a) Ia. 2. 371.

b) ib. v. 507.

c) ia. v. 663-71.

d) duo concilia habentur, primum carminis init.  
a. 31-96. alterum s. 3-28. at cur duo? non  
ne vnum sufficiebat? caussam scire velim: suc-  
current quedam rationes, sed cum mihi non  
satisfaciant ipsis, apponere eas nolo.



euanescere videtur, sed tamen non euanescit. Telemachi enim crebri sermones et ad Mineruam et ad procos et ad Nestorem et ad Menelaum Helenamque de quo agunt, quam de patre? rursus, quid iter illud spectat aliud, quam Vlyssem reducem? denique et quid sibi volunt perpetuae Penelopes lacrimae? quid illud, quod ne Phemium quidem, Graecorum de Troia redditum canentem, possit audire? nempe haec omnia vel latenter in Ogygia Vlyssem producunt, et, si non in luce meridiana, in aurora tamen collocant, et ita collocant, ut satis vbiqne, modo ut pater, modo ut maritus, modo ut princeps optimus appareat, lectorque eius nunquam obliuiscatur. Sed in libro tandem V, quem adhuc quasi per nebulam monstrauerat poëta, totum in scena sistit, neque vñquam, donec aulaea cadant, dimittit. Nam quod libro XV. celeriter admodum, Telemachum in Ithacam reducendi caussa, Spartam Pylumque excurrit, non notari meretur. Talis autem appetet vbiique, ut quam illum vñice spectet Homerus, quam illum honoret, facile videoas. Fuitine cum illo apud Phaeacas? meministine, quanto eum omnes honore ornauerint? Rex coniuia apparat splendida: instituit ludos; totus populus concurrit: omnes regis exemplo excitati donis eum haud vul-

gari-

garibus cumulant: deductionem in publico concilio amplissime decernunt. Age iam, si ste tibi illum in ipsis ludis. Currunt iuuenes, luctantur, discos iaciunt. An in his otia agit Vlysses, qui, vt ipse, licet inter imbelles Phaeacas, ait e).

*πάντα - ε κακος εσι μετ' ανδρασιν, οσσοι  
αεθλοι - - -*

Minime. Utque robur suum exferere possit: de medio iuuenum suscitat aliquem Homerus, qui eum prouocet. Quid igitur Vlysses? discum iacit

*μειζονα και παχετον, γιβαρωτερον εκ ολιγον περ,  
quam reliqui Phaeaces omnes, et ita iacit, vt  
omnium metas longe is superuolet f). Comi-  
tare illum e stadio ad coenam. Prodit De-  
modocus, amabilis ille cantor. Quid canit?  
Equum Trojanum, et hinc Vlyssem maxime,  
eius*

e) od. 9. 214. sc.

f) Egregium hoc simul artificium erat, Vlyssi Phaeacum benevolentiam conciliandi et existimati-  
onem. Cum enim ipsi homines essent minus belli-  
cosi, minusque in palaestra quam in tripudiis exer-  
citati, non poterant non eum, qui haec virtutis  
specimina ederet, suspicere. Quare quoque ani-  
mum lectoris praeparasse mihi videtur H. ne si  
inferius tam prompti Phaeaces dona hospiti promit-  
terent, miraretur.



eius inuentorem laudat. Neque id cantorem,  
*νωτῷ διηγεῖται* ab Vlysse honoratum, se gratum  
 ut praebeat, cecinisse quis dicat. Quis enim sit ille hospes, neque Démodocus neque  
 quisquam alias tum adhuc norat. Conferamus iam iter Telemachi. Beneuole profecto  
 excipitur a sene Nestore, beneuole a Menelao,  
 coniuuiis eum vterque honorat: at priuatus eo-  
 rum hospes est: Vlysses Phaeacum publicus  
 hospes apudque omnes deuertisse videtur. Se-  
 quimur illum in Ithacam. Deducitur in casam  
 Eumaei, ab hoc, et quidem sub mendici per-  
 sona, in vrbe, imo in ipsum procorum con-  
 iuuium. Iam qua arte id efficit Homerus, ut  
 delicatuli illi iuuenes virum senem, laceris ve-  
 stibus indutum, quid? quod vix pannis te-  
 ctum, inter se versantem tolerent. Quin  
 eum exturbabant? quin scena eiiciebat? Ini-  
 tio quidem tutabatur eum fauor Telemachi et  
 Eumaei: postea vero cum prope expelleretur,  
 iamque, stimulos subiiciente impio illo Melan-  
 thio, ab Antinoo scabello percussus esset; ipse-  
 que tamen ut conuiuio eorum ad expiscanda  
 procorum consilia optimamque caedis viam in-  
 ueniendam interesset, opus omnino esset: in-  
 troudxit alterum mendicum, procis non inco-  
 gnitum iisque saepius molestum. Quem cum

Vly-

Vlysses et ipsius impudentia et procorum stimulis incitatus ex conuiuio eieisset: g) gratiam omnium ita sibi demeruit, ut eo facilius illis interesse ipsis, neque interesse solum licet, sed perpetuo fere cum ipsis, tum cum Telemacho confabularetur. Conuiuio finitio colloquebatur aut cum vxore, aut cum Eu-maeo Philaeioque, sic ut ille vbiique princeps in theatro persona appareat. Sed properamus ad ultimum illum actum, in quo fabula felicissime explicit; ad caedem procorum. Primo quidem, quale quantumque est illud ausum, unum illum 180 b) praeter octo famulos aggredi non dubitasse. Cum enim magni et elatioris animi indicium sit, vel consilium rei difficilioris, de cuius prospero euentu quaevius humilior anima desperaret, capere: quam illum, qui opus ipsum graue arduumque suscipere et aggredi audet, suspiciamus necesse est? Ipse Homerus ita ratiocinatur i):

TIS

g) Quo ex loco si Au<sup>t</sup>or libri de Poësi Hom. T. V. p. 257. (ed. Clarkio-Ernest.) comoediā deducere vult, aequē ridiculum se praebet, ac si Homerū medicū facit hoc argūmento. quod *ιαμας ψυχεως* esse scripsit Θεομην, p. 253. Ut coeci sunt, qui in uno homine admirantur omnia!

b) od. n. 245.

i) x. 12.





τις κ' ειστο μετ' ανδρασι δαιτυμονεσσι

Μενον ενι πλεονεσσι, οις ει μαλα παρτερος ειη,

Οι τευξειν θανατον τε νανον και ηγα μελαιναν;

quaque nam haec magis de inopinato inter scyphos imperu, quam de magnitudine facti, intelligenda sunt. Deinde in ipsa pugna, quam fortem se praestat? ipse fere unus omnes illos procos trucidat. Habebat quidem adiutores filium, Eumaeum Philaetiumque, sed illi vix unum alterumue interficiebant. Quemadmodum itaque Vlysses per totum carmen plena luce splendentem admirati sumus: sic Telemachum uti virtutis patriae aemulum, ita ob prudentiam suam, parentum amorem, constantem animum et fortitudinem omnino non indignum esse videmus, quem Homerus in luce haud quidem plena, sed in luce tamen ponebat. Sed quid dicamus de Penelope? raro illa in scenam prodit, nec prodit, nisi forte ut cum Telemacho colloquatur, aut procos reprehendat, aut de diuturna mariti absentia queratur. At proprius et accuratius poëtae artem considera. Cur domum Vlysses occupant proci? cur quotidie ibi coniuuantur? ludunt? ad seram usque noctem commorantur? annon haec omnia Penelopes caussa fiunt? Ex altera parte cur Vlysses consilia init procorum interficien-

ficiendorum? cur mendicum simulat? indignis modis tractari se finit? cur maximum periculum adit in procis caedendis? nonne, ut Penelopen vxorem reciperet? Porro quis certamen inter procos instituit? et quis hac ratione, ut Vlysses arcum sine suspicione sumere possit, efficit? annon ipsa Penelope? Vides itaque, vnicam illam tum a procis, tum ab Vlysse spectari, et signum quasi pugnae, licer insciam, dare; et tamen fere totam, ut in Iliade Briseida, caussam illam malorum omnium, latere. Cur igitur maxima ex parte umbris eam inuoluit Homerus? cur ei non Penthesileae Camillae fortitudinem virilem dedit? cur

Illa colo calathisue Mineruae  
Femineas assueta manus

non ipsa cum procis manum conserit? cur illam inter ipsam caedem dormire voluit? scilicet, puto, Homerus id spectauit, ne lux illius lectoris oculos praestringeret, et, quo minus Vlysses plena in luce conspiceretur, impediret. Eumeus denique et Philaetius per se quidem sunt personae non ignobiles, at tamen infra maiestatem carminis epicis positae. Cum tamen fide in principem prae reliquis Vlyssis ciuibus omnibus haud leuiter excellant: non plane umbris

C

in-



inuolui meruere, radiisque gaudent, ab Vlysse,  
vti Erisistatus in laudata Lairessii tabula ab  
actionis sanctitate, mutuatis deriuatisque.

Restat ut hoc capite, quam aptus morum  
artifex sit H. videamus. Est id quidem iam  
a pluribus demonstratum: sed nos quoque loca  
nonnulla, a nemine, quantum scimus, notata  
producemus: tum quod iucunditatis multum in-  
est in morum aliorum obseruationem, tum, vt qui-  
dam, qui id nesciunt, discant, Homerum  
vt Horatius *k)* ait, meliorem morum pra-  
ceptorem esse Chrysippo et Crantore. Mi-  
rifice semper mihi placuit elegantissima illa de  
Nausicaa *l)* narratio *m)*, tum ob simplici-  
tatem temporum, quae ex illa elucet, tum ma-  
xime ob elegantissimam illam, qua Vlysses  
puellam alloquitur, orationem. Primo igitur,  
qua arte vfa est Minerua, siue potius Home-  
rus,

*k)* Epist. II. 2. seqq.

*l)* pulchritudinem eius celebrat poëta, Diana eam  
assimilans, socias Nymphiis. Nausicaa würde un-  
ter ibrem Gefolge minder reizend hervorschimmern,  
wenn Homer diese Züge, womit er die Tochter des  
Alcinous geschildert, an ihren Begleiterinnen hätte  
verschwenden wollen, inquit ill. Hagedorn, Betr.  
p. 42. qui et conf. p. 323. Ceterum h. Hom. lo-  
cum respexit videtur Charit. a. p. 3. lin. 19.

*m)* quae est libro VI.

rus, ut per Nausicaam Vlyssem in urbem aedesque regis Phaeacum introduceret? Commonet illam vestium sordidarum, nuptias appropinquare nunciat, vestesque iubet lauari. Num aptius eam mouere poterat ad adeunda illa loca, vbi Vlysses dormiebat, i. e. ad lauacra? quis enim nescit puellarum munditiae studium? En Europam, in mediis vndis vetam, subito Iouis raptu territam et exanimatam fere, eandemque tamen vestes, ne humectentur, colligentem! n) En Camillam Virgili, bellatricem illam et a mulierum studiis alienam, in hoc tamen illis similen, quod ornatum amet! eaque ratione mortis eius occasionem aptissimam finxit Maro o). Quod cum cogito, et eundem, quod sine vlla caussa probabili Creusam, vxorem Aeneae, scena eiicit, reprehendi p) memini: annon eam ob pretiosam vestem aliamue rem mulieribus aestimatam, domum remittere, et sic Aeneam ab illa, quando quidem ita opus erat, liberare potuisset,

C 2

n) Mosch. E. & B. 122.

o) Aen. XI. 778. Par ce trait delicat d'une morale aussi fine, que recherchée, le poète insinue adroitement, que l'imprudence a poursuivre ces éclatantes miaiseries sur la cause fatale de la mort de son héroïne. Spectateur T. I. p. 77.

p) a Battesio, *Einleit.* P. II. p. 203.



tuisset, animo meo succurrit. An recte? vi-  
derint docti: ego redeo ad Nausicaam. Quam  
quis cum Claudio <sup>q)</sup>, maximo omnium lau-  
datore, Serenae illi postponat? Excitatur  
illa e somno, surgit: patrem quaerit, vestes  
lauare se velle ait, cur? veramne caussam ad-  
dit? minime.

*αιδετο τ.) γαρ θαλερον γαμον εξονομηναι.*

Quam igitur? patri in conciones prodeunti  
vestibus lotis opus esse callide fingit; culpam  
quoque in fratrum *κολλωπιστον*, ut sunt iuue-  
nes, reiicit. Pater permittit: illa abit, ve-  
stes lauat, prandium capit, deinde sphaera lu-  
dit, cuius in aquam incidentis *βομβω* expe-  
rgefactus Vlysses prodit ex silua, puellamque,  
ut se in urbem ducat, orat. At quo tandem  
artificio, ut precibus hominis ignoti annueret,  
effect? nae! plane puellarum mores non no-  
uisset, qui *πολλων νοον εγνω*, nisi a laudibus  
formae eius tributis exordium duxisset. Qua-  
re statim incipit:

*θεος νυ τις, η βροτος αστι; f)*

*Αγτεμιδι σε εγωγε - - -*

Et

<sup>q)</sup> p. 500. ed. Gesn.

<sup>r)</sup> Vf. 66.

<sup>f)</sup> imitatus est Virgil. Aen. I. 331. sed inferior vi-  
detur

Et diuina sunt illa, τεισμακρες -- σεβας μι  
εχει εισοροωντα. quae quam placere debebant  
puellae! Deinde cum misericordes esse soleant  
puellae, et Nausicaam t) miseriae suae narra-  
tione flectere tentat Denique votum addit.  
Quale? an vt diu? vt sana viuat? vt felix?  
vix putem. Sed

σοι - θεοι τοσα δοιεν, οσα Φρεσι σησι μενοινας

Αυδρα τε και οικον --

in quibus omnia nunc virginis vota occupa-  
ta erant, omnemque elegantissima de lae-  
ti coniugii deliciis fententia claudit oratio-  
nem. Non laudabo in reliquo h. libro qui  
mihi quidem pulcherrimus Odysseae videtur,  
το, τρεσσαν δαλλυδις αλλη, ii) et το, αλλη-  
λησι κελευσαν, v) et το, ειπου δαρα ιε-  
ηη m) et votum puellae, αι γαρ εμοι -- x) et

C 3

timo-

detur Homero. Ille in Dea, annon Dea sit, du-  
bitat, hic in homine, conf. Hymn. in Ven. v. 88.  
sqq.

t) quare et ap. Lucian. Imag. c. 19, p. 478. T. II.  
vt χρηστητος και φιλαθρωπιας, vti Penelope cap.  
sqq. σωφροσυνης et ευνοιας in maritum, exemplum  
adducitur.

ii) v. 138.

v) v. 2II.

w) 223.

x) 224.



timorem eius, μητις οπισσω μαρευη - γ) in quibus omnibus muliebre ingenium cum voluptate deprehendisse mihi videor: alia iam humani animi in H. vestigia persequar.

Nihil communius est in hac vita, quam vt praefentes in luctu nostro luctum quoque simulent:

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adflent  
Humani vultus z).

Recessus igitur intimos latebrasque hominis qui detexerat poëta, et has lacrimas falsas esse facile perspexit. Cum Telemachus Spartae defleret patrem, fleret Menelaus, fleret Helena: quid facit Pisistratus, Telemachi comes? flet et ille. At ob Vlyssem? minime, sed memor fratri ad Troiam occisi. Quis heic non meminit illius in lliade a) σφων δαυτων κηδε' εκαση.

Eos, qui longa nimis calamitate premuntur, oneri nonnumquam, patientissimi licet fint,

y) v. 273.

z) Hor. A. P. 110.

a) σ. 302 Imitatus est Heliod. Aethiop. I. 2. p. 37. ed. Commel. ubi ita: εδαχησον ναι οι ζενοι, το μεν, εκεινου προφασιν, μηντης δε των ιδιων εκασος. huic iunge Charit. β. p. 31. lin. 11. et η. 1. p. 136. lin. 6.

sint, succumbere quis nescit? Hinc Vlysses,  
satis adhuc fatis agitatus et in terram Phaeacum  
eie&tus tandem, ne hic quidem aduersitatis  
tibus suis finem posituros esse Deos, credebat.  
Quare ille ita ad Nauficaam <sup>b)</sup>

*παυσεσθ, αλλ' ετι πολλα θεοι θελεστι παροθεν.*

Culpam malefactorum omnem solemus in alios  
reiicere, inque eos praesertim, qui vel absen-  
tes vel mortui sunt, quique nihil nocere, ne-  
que se defendere amplius possunt. Vides hoc  
in Eurymacho, proco. Aggressus iam erat  
illos Vlysses: telo strauerat Alcinoum: treme-  
re omnes; quid hoc rei sit, quaerere: se vt-  
uros esse caedem, minari. Vlysses nomen suum  
proficitur: hem! subito Eurymachus omnia  
sclera, omnes iniurias, omniaque damna Vlys-  
si illata in Antinoum caesum coniicit: hunc  
esse malorum auctorem, hunc omnium male-  
factorum inuentorem, hunc ducem auspicem-  
que: hinc et illum, quem paullo ante omnes  
iniuste caesum esse dicebant, seque vturos esse  
minabantur, iure caesum ait esse et prostratum.  
Talia quaevis fere pagina dabit carminum Ho-  
mericorum: quas delicias qui amat, legat, at-  
tendat, sentiat.



## CAP. II.

*De Materia carminis.*

Iam, per partes itinere facto, ad ipsum fabulae ( $\mu\nu\theta\varepsilon$ ) corpus inuestigandum accedimus. Hem! cogitabit vnuſ et alter; hic poētam ad ieinni Critici grammaticiue compendium, more multorum, examinabit; quae cum illo conuenient, laudabit: vbi vero dormitantem deprehenderit, et a Tigellio suo recedentem: vah! quam male vapulabit infelix ille Homerus! At, o bone, non faciam, qui non proemiorum modo, vt Quintilianus ait, sed totius carminis epicī leges eum ipsum non tam fecutum, quam constituisse didici. Sed cum figendi tamen sint gressus, filum quoddam et inprimis illud Ariadnaeum Batfesii, quod per doctas Rammeli, V. C. manus datum nobis est, fecuturi, videbimus, hanc Homeri fabulam primo simplicem esse duntaxat et vnam; deinde eam lectorem, tum personae principis virtutibus, tum fabulae ipsius argumento, tum denique eo, quod mirabile vocatur, ita in suas partes trahere, vt eum delectet moueatque. Num dabitur nobis, Homeri artem ita explicare, vti illam persentisci mus? at nunquam quid quisquam, de quo despe-

desperauit, perfecit. Num omnes, queis iam Homerus displicet, melius de eo, his lectis, sentient? modo vnuſ alterue eum non contemnat amplius! annon ii, qui, quid in Homero pulchrum sit, quid diuinum, melius me peruidere, libellum hunc, se indignum, reiicent? reiicere modo possint omnes, qui eum vident! et qui reiicere possunt, me eos felices praedicare, et magni, ut fas est, facere sint persuasi!

Primo requiritur simplicitas, i. e. carmen non plures, sed vnam tantummodo fabulam, quae est *συστοιχία*, vt ait Aristoteles c) εχθσα αργην και μεσον και τελευτην, contineat. Simplicitas cum dependeat ab argumenti indicacione, quid Homerus promittat, videamus. Non dixit ille, se omnes res ab Vlysse gestas canere velle, λιαν γαρ μεγας μυθος ille, vt ait Aristoteles d) και εκ ευτυχοποτος εμελλει εσεσθαι. quare non narrauit eum πληγηναι e) μεν εν παγναστω, μανηναι δε προσποιησθαι εν τω εγερμω, ων οδεν θατερος γενουμεν αναγκαιον η ειπος θατερον γενεσθαι, sed in μια πραιξει subsistit: et quae est illa? domum reditus. At de

C 5

eo

c) Poet. cap. 7. p. m. 796. T. II.

d) Poet. c. 23. p. 813.

e) id. I. I. c. 8.

❧      ❧      ❧

eo ne γενον quidem in προσώπῳ. Cum Bos-  
suo, f) ut eum vocat Olearius g) id obseruat  
et is, qui ad vernaculam eius translationem an-  
notationes adiecit: Hic igitur cum se expedire  
inde tentet, προσώπῳ ad v. 21. usque exten-  
dit. Sed, ut a Bossulo discere poterat, opus  
non erat; cum reditus in eo iam lateat, quod  
Vlysses Homerus omni ratione suam suorumque  
vitam seruare voluisse ait, socios autem non  
seruare potuisse, addit. Rursus, inquit aliquis,  
vbi quidquam de caede procorum indicauit  
poeta? Sed nec hoc erat opus. An enim re-  
diisse dici poterat Vlysses, nisi simul uxorem  
recepisset, aedes suas occupasset, et de pro-  
cis poenam sumisset? Θαυμάζεται γενομένης αναγ-  
νον την η εικός καὶ θαυμάζεται γενεσθαι. Cum  
itaque Homerus id tantum hoc carmine cecine-  
rit, quod in operis limine indicauerat, i. e. re-  
ditum Vlyssis, quaeque ab eo dependebant:  
hinc carminis huius conficitur simplicitas. Cu-  
ius summam non melius dare nos posse credi-  
mus, quam verbis Aristotelis. b) Αποδημῶν  
Οδυσσεὺς ετῇ πολλὰ παραφύλαττεται υπὸ τῆς  
ποσειδώνος. ετὶ δὲ τῶν οἰκοῦ ὀτως εχοντων, οἵτε τα-

χρη-

f) de carm. ep. III. 3.

g) ad Philostr. p. 199.

b) Poet. c. 17. fin.

χειματικού υπό μνήσηρων ανάλισκεσθαι, καὶ τὸν  
 νιον επιβλευεσθαι, αὐτὸς αφίνειται χειμασθεῖς,  
 καὶ αναγνωρίσας τινας, αὐτοῖς επιθέμενος, αὐτὸς  
 μὲν εσώθη, τὰς δὲ ξένας διεφθείρεν. En stu-  
 pendam ingenii Homerici vim! En aridum fa-  
 bellae agellum ita luxuriantem, ut messis am-  
 plissima 1200. versuum efflorescat, atque ita,  
 quod maximum est, efflorescat, ut non ar-  
 te productae fruges, sed sponte a liberali ter-  
 rae ingenio natae esse videantur. En solitudi-  
 nes Libycas, vel Armidae scipione vel Neptuni  
 tridente in amoenissimam mutatas regionem!  
 vbi quid prius, quid diligentius contempleris,  
 haec sitas: an vrbum splendorem? an turrium  
 altitudinem? an pratorum hilaritatem? an ri-  
 dentem camporum vultum? Ita omnia incre-  
 dibili distinxit varietate! Iam te forte taedium  
 in Iliade ceperat, amice, perpetuae pug-  
 nae i). Praesens fit id Homerus. In media  
 pugna, in ipso praelantium ardore stupemus  
 optimorum amicorum bigam, ex Graeco al-  
 terum, alterum e Troiano exercitu, attonito  
 oculo se fistentem k). An longe hinc pedem  
 referam, et singulare hoc inexpectatumque  
 spectaculum procul suspiciam admirabundus?

an

i) a. v. 446. libri VI. i. e. per 1126. versus.

k) §. 119.

❧      ❧      ❧

an vero aduolem ad illos, et his brachiis candidas has animas amplectar? candida pectora pectori applicem meo? Haereo. Iubet hoc animus blandae apertus amicitiae: illud, rei, quam video, insolentia. Quando tandem recurretis aurea illa tempora, vbi Amicitia, sacrosancta illa Dea, quae nunc ob vilissimas res, ob leuem in rebus nullius ponderis dissensum, abiicitur, arma caedesque perrumpat? quando tandem recurretis? Hoc actu, qui vtrum magis mirabilis, an laetus fuerit, nescimus, finito, ad aliam scenam nos ducit: vnde quis est qui sine lacrimis abeat? Mulier mariti amantissima, et dolore ob eius discessum fere exanimata, huic, ne periculis se nimium exponat, miseriam suam narrando, blandiendo, flendo persuadere allaborat: Hector durus quidem et immotus, at ille tamen non ita durus, vt non moueretur puerulo, de quo dicas *l*): *ως αφελης ο ποιης εστι, και απλοινος, και αυτο δη τυτο ποιης ετι.* Sed quid haec enarro cum has delicias gustandas nobis dederit Vir *m*), cuius epulis si nunquam satiari me posse, in quo, vtrum doctrinae verae magnitudinem ingeniique felicitate

*l)* Lucia. Dial. T. I. p. 210

*m)* Klotzius Epist. H. VI. conf. Mendelsohnii, V. cel. et acutissimi, *Pbilof. Schrift. Th. II.* p. 138. et Haged. V. Ill. Betr. p. 322.

citatem, profundamque artium cognitionem, an vero amabilem animi candorem, illamque pectore nobili dignam, qua, quae sentit, dicit, libertatem admirer, si nescire me dixerim, haud vereor, ne quis hoc auribus eius datum putet esse. Redeo ad simplicitatem carminis, quae interrupitur quidem *n*) at non tollitur iis, queis opus poëta distinxit, *επεισοδιοις*. Telae enim illa suae ita intexit artificiose, ut vbiunque aliquid inde velis decerpere, nihil quidem in fabula, delectationis tamen multum, et hinc inde quoque lucis aliquid desideres. In medias Vlyssis calamitates non secus ac notas rapit nos Homerus: dat nobis illum in Calypsus insula: quis, quomodo huc delatus sit, diuinabit? didicimus ex Iliade, ad Troiam illum pugnasse: eius redditum canere se velle, ipse indicat poëta; qui igitur, quid acciderit illi interea, scimus? et curiosuli tamen sumus, ut sumus homines. Gratias itaque Homero agimus, qui, cum Vlyssem a Troia inde non vellet in Ithacam deducere, introduxit illum in Alcinoi conuiuum, vbi fata sua calamitatesque iam exantatas in *επεισοδιων* narrare poterat, et quidem apte poterat. Nam quid magis credibile est, quem Alcinoum, cumque eo Phaeacum optimates omnes, cupiditate, hospitis huius,

v) Hom. Crit. T. III. p. 301.



huius, quem hominem *επυχοντα* et manu quoque validum et sapientem esse viderant, fata discendi, arsisse? praesertim, cum tam suauis promulside accepti fuerint et Alcinous et Arete o). Quare omnium nomine, in publico conuiuo ita ad eum Alcinous p).

*ΕΙΤΕ ονομ* - -

*ΕΙΤΕ δε μοι γαιαιντε τενη, δημοντε πολιντε*

(*Kai*) αγε, μοι τοδε ειπε, και απρεκεως καταλεξον,

*Οπποι απεπλαγχθησ τε και εστινας μεο χωρας,*

*Ανθρωπων* - - -

*Ειπε δοτι ιλαιεις και οδυρεαι ενδοθι θυμω*

*Αργειων Δαγκωντε και Ιλιου οιτον αικεων;*

Seriem igitur fatorum per integros 4. libros, semel leuiter tantum abrupto narrationis filo q), narrare coepit Vlysses. O suauem illum narrationem! Vtri est

Suaue mari magno turbantibus aequora ventis

E terra magnum alterius spectare laborem;

Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas,

Sed

o) Od. η. 210. coll. μ. 451.

p) Od. τ. 550. sqq.

q) Od. λ. 322 - 76.

Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suave est:  
 Suaue etiam belli certamina magna tueri  
 Per campos instructa tua sine parte pericli:

aut uti suavis et est sensus ille, pectore dignus  
 haud ignobili, quo cum homine fortunae icti-  
 bus obiecto vel laeta vel trista ex animo senti-  
 mus: sic non minus suave est de tempestatibus  
 marinis, pugnis, periculis vitae aliisque rebus  
 mirabilibus narrantem legere, et narrantem  
 quidem Homerum, qui lectores facit spectato-  
 res. Rursus *επεισοδίον* illud r) de vulnera in  
 Parnasso apri dentibus inficto non superfluum  
 esse, et cum toto *σωματιῷ* cohaerere, quis  
 non videt? Exscindatur! et de cicatrice, qua  
 Euryklea herum agnoscit, plane erimus *ἀπαι-*  
*δευτοί*. Illud, vero quod de Proteo narrat  
 Menelaus, f) nonne *πλεοναζεῖ* et numerum  
 versuum augendi causa est insertum? Videri  
 posset, nisi exinde, Pater vbi commoraretur,  
 disceret Telemachus, et cum Telemacho nos.  
 At, quod ingenue fateor, de toto illo Telemach-  
 i itinere quid dicam, nescio. Estne *επεισο-*  
*δίον*? loco hoc tam alieno? audi Vlyssēm ex  
 Ogygia decedentem videre gestiebanus, et  
 nos Homerus cum filio Pylum rapit. Ut Te-  
 lema-

r) Od. τ. 393.

f) δ. 343.



lema<sup>chus</sup> inauditiuncula quadam de patre ad-  
spergeretur, *t*) aut ut gloriae quid conseq<sup>ue</sup>-  
retur, *u*) tantine hoc erat, ut ab Vlysse nos  
auerteret? Porro cum επεισοδί<sup>ς</sup> natura sit, le-  
ctorem, quem perpetius narrationis trames  
lassum iam aliquantum fecerat, de via leuiter de-  
flectendo, amoenis deuerticulis excipere: quo-  
modo heic in fronte carminis, vbi vix iter cum  
poëta lector ingressus est, locum habere potest  
de viā deflexio? Pertinet, inquis, ad totius  
carminis συστημ<sup>α</sup>, neque ab ea diuelli vnquam  
potest. Quid igitur eo sibi voluit Homerus?  
num quicquam eius opera effectum est? ut pa-  
ter in patriā rediret? nonne Vlysses in Itha-  
cam, si vel mansisset domi filius, reuerti po-  
tuisset? imo et reuersus prior est. Neque fa-  
tisfaciunt ea, quae dixit Bossulus. Vult ille,  
propterea non statim ab erroribus Vlyssis in-  
cepisse Homerum, quod tum nimis sero, quis  
Telemachus, quae Penelope, qui proci fue-  
rint, didicissemus. *v*) Quasi non tum satis  
mature, cum Vlysses ipse in Ithacam deuene-  
rit, illos nosse potuissimus! Cui bono haec  
omnia? Haec non animo Homerum reprehendendi

*t*) Od. δ. 498. 555.

*u*) α. 93.

*v*) de carm. ep. II. 12. p. 157.

dendi apposui, sed tum, quia nihil dissimulare didici, tum quoniam, ut melior me iudex ex his me expediat, opto. Quaero iam, quomodo Homerus attentionem sibi conciliauerit lectorum suorum, non quidem Graecorum, qui eum θεον ως εισοροώντο, qui ex eo multa et in sacris rebus et in πολιτεια haufere, qui que eum publice coram populo a rhapsodis praelegi voluerunt; (et hoc enim, cui Graecis fuerit vsui? et illud, quā in vernaculam nostram sit transfundendus, et quā haec ex illo sit emendanda? pondus his annis humerisque nimis nunc foret graue, quod et viros doctos exerceat:) sed id tantum, quomodo carmen eius, quod humanae fortis speculum exhibet, nos, et ipsos homines, afficiat, videbimus. Primo igitur statim attentos nos reddit ipsa, quae princeps est, persona. Nam vti in Iliae Achilli vel maxime fauemus ob amicitiam, qua Patroclum prosecutus est, tenerrimam verissimamque <sup>w)</sup> (acre enim et pertinax inexorabilis bellatoris ingenium fortitudinemque Alexandris admirandam relinquimus,) ita non possumus non Vlyssem, quem virum bonum esse videmus, amare, et de eo, infelici fato

<sup>w)</sup> vid. du Bos, *Betr. P. I.* p. 120.



fato agitato, esse solliciti. Quamuis enim non omnis virtutis exemplar sit, quod Homerus eum sapienter noluit esse: *x*), est tamen virtute haud vulgari exornatus, isque innumeris calamitatibus afflictus, et quidem ob virtutem exercitandam afflictus. Et αγαθος ην, ως ην, inquit Maximus Tyrius *y*) διοτι

Πολλων ανθρωπων ιδεν αισθαι και νοον εγνω,  
και πολλα δογματα ποντω παθεν αλγεα ον κατα  
θυμον, πως ο θεια μοιραι αυτω συνηνεχθη τα  
γυμνασια, αφ' ων αγαθος και ην και εδοξε, πε-  
ρισησαντος αυτω τα δαιμονια ανταγωνισας πολλας  
των μεν Βαρβαρων το τρωικον, τα δελληνικα τας  
αριστας, Παλαμηδην και Αιαντα, των δε οικοι τας  
ισχυροτατας και ακολασοτατας, Κυκλωπων δι-  
γριωτατον, Θρακων τας αξενωτατας, Φραγμαν-  
δων την δεινοτατην, Θηριων δε πολυκεφαλωτατην,  
θαλατταν πολλην, χειρωνα χαλεπον, συνεχη  
ναισεγια, προσαναγκασας αλασθαι και πτωχευειν,  
ειπη αμπιτχομενον, και μετα ταυτα αιτεντα ακο-  
λας, παλαιοντα, λαντιζομενον, παροιμενον,  
ων εκαστον αυτω δια φιλιαι θεος προυβαλεν. Quis  
hunc non curet? quis et hinc, quomodo ma-  
lis eripiatur, non attendat? et de erepto gau-  
deat?

*x*) vid. Briefe die Litterat. betr. Th. IX. p. 49. sqq  
conf. Battes. libr. laud. P. II. p. 102.

*y*) Diff. ιβ. p. 131.

deat? Porro quis illum non admiretur? Fortem quidem et excelsum illum animum, qui tanto malorum onere pressus sese erigit ipse, pauci aestimare didicerunt. Quamuis enim dolores nobis excitet omne id, quod nos ea quae volumus, perficere retat: z) illi tamen raro oculis plebeii, (at quam late se plebs docta indoctaque, nobilis atque ignobilis exten-dit?) non apparent. Quum igitur in Vlysse cum internis animi doloribus non coniuncti sint externi, et omnino patientia non in iis virtutibus, quae primo statim intuitu oculos feriant, numeretur: Vlysses non is appareat, qui est. At perpendamus incredibilem illam, patriam repetendi tandem, cupiditatem, illum immensum coniugis videndae ardorem, singularem illum in filium affectum, quae tanta erant, ut ne Dearum quidem amores spesque immortalitatis ex animo ea possent evellere: ex altera parte sexcenta votorum perficiendorum impe-dimenta, iram Neptuni, tempestates, ieunia, sociorum in bestias mutationes et caedes et naufragia, paucis, omne malorum, quae per-pessus est, genus: et ille tamen, velut Lao-

D 2

coon

z) Hanc de Vlyssis patientiae magnitudine obserua-tionem subnatam esse profiteor e lectione eorum, quae dicit Abbtius, in aureolo libro, vom Ver-dienste, p. 73. sqq.



coen ille, tacita patientia tolerat omnia, et solatia ex se ducit ipse, et saepe quidem, ubi summum fastigium attigerat eius calamitas. Cui non surgat animus μεγαλυτρως cum illo

Θετλαθι δη πραδη; a)

quis est, qui sublimitatem eius non sentiat? An Vlysses vnguam ira de malignitate fortis effertur? num Neptunum omnibus diris, omnibus calumniis infestatur? num et ceteros Deos, qui tantam Neptuno potentiam concedant, increpat? Verum ut dolore furentem non dedit, ita nec plane durum. Misericordiam suam luget, meliorem fortunam optat, flet quoque, et flens sedet ad littus, b) patriamque respicit. Haec autem ut non homine, ita nec heroe sunt indigna, c) et de patientia eius nihil detrahunt, et simul misericordiam nostram erga eum, quem nostri tam similem videmus, magis commouent. Eorum enim, quae hominem excedunt, nihil nos tangit. d) Ingruit horrenda tempestas: nauis disiicitur: ponto iactatur miser:

a) v. 18. coll. s. 222. al.

b) s. 82. al.

c) vid. Lessing. Laoc. p. 5. seqq. conf. quae dicit Auët. lib. de poes. Hom. p. 213. T. V. ed. Ernest.

d) Fragm. Samml. II. p. 335.

miser; vah! quam, ne mergatur fluctibus, ve-  
reor! At o illud execrandum Polyphemi an-  
trum! hinc ille euadet? Ianuae obuolutum est  
saxum ingens, immane, immensum. Vi-  
viam aperiet? pugnabit contra illum, qui nec  
Iouem curat? periit igitur: spes elabendi  
*ωχετο*: farctum faciet ex homine Polyphemus.  
Sed quid si illum, quem nec Salus ipsa seruare  
posse videbatur, seruaret calliditas? Plaudo,  
laetor; exsulto laetitia! et mecum, qui sensum  
habent, omnes!

Deinde et ipsa fabula talis est, quae et  
admirationem nostram eo, quod mirabile voca-  
tur, excitet, et de rerum euentu lectores te-  
neat suspensos: et hoc quidem fit impedimen-  
tis, quae heroi in eo, quem petit, attingen-  
do scopo initio moram obiciunt, postea vero  
arte poetae tolluntur. Vlyssem, quo minus  
in patriam venire domumque statim occupare  
possit, duo impedire ait Bossulus, *e)* primo  
Neptuni iram, *f)* deinde procorum impu-

D 3 den-

*e)* p. 166.

*f)* caussam quidem malorum omnium in boves ab  
Vlyssis sociis maestatos coniicit Genestius, libello  
super vita pastorita scripto, (*in der Sammlung ver-  
mischter Schriften. 2. Betr. 2. St. p. 329.*) sed ca-  
lamitates inde ortae ad solos socios pertinebant;  
illi periere, euasit Vlysses.



dentiam et mores effrenes. At quid si vna  
omnis in Neptuno impediti in patriam reditus  
turbarumque Ithacenium caussa deprehenda-  
tur? et deprehenditur profecto. Videamus  
imprecationem illam Polyphemi, ad patrem  
missam: g)

αλλ' ει οι μοιρές εστι φίλας τοιδεειν και ινεθαι  
Οινου ευκτιμενον και εην εις πατριδα γαιαν,  
Οψε καιως ελθοι ολεσας απο παντας εταιρεις,  
Νησος επ' αλλοτριης, ευροι δεν πηματα οινω.

Annuit Neptunus:

τε δεκλυε Κυανοχαίτης.

Et illas igitur in Ithaca turbas dedit, conue-  
niente quoque temporis ratione b). Aeneas  
enim Achaemenidem, Vlyssis socium, in In-  
sula Polyphemi relictum, circa sextum erroris  
annum recipit, vnde sexto post excidium Tro-  
ianum anno in Insulam illam Vlyssem deuenisse  
et Polyphemum oculo priuasse discimus. post-  
quam vero in Ithacam anno X. rediisset, qua-  
tuor fere annos turbae procorum durauerant.  
Cum igitur non citius inceperint, quam Vlysf-  
ses

g) .. 532.

b) conf. loca, Od. s. 89. Aen. III. 590. V. 46.  
636.



ses τον ανδρα πελωριον excoecasset, earumque initium in ipsum illud tempus incidat: quem alium, quam Neptunum auctorem illarum esse, vindictamque hanc de Vlysse sumfisse apparet? At has procorum turbas nusquam alibi parasse Vlyssi legitur hic Deus. Neque opus erat saepius earum narrare originem. In extremas enim illas cum nos introduxisset, vnde essent ortae, dixisse semel in επεισοδιω sufficiebat. At Neptunus maris est Deus, est illi imperium solius pelagi sorte datum, illa se iactet in aula, quid in terris tumultus excitat? quid contra principem ciues? Sed nonne hi recordantur pugnarum in Iliade commissarum? exercitum Graecorum vti obiit? vti his opem tulit? vti Aeneam eripuit? et quid clarius illis eius? i)

γαιαν δ' ετι ξυνη παντων,

vt eum saepe γαιοχος k) audire taceam. Videmus itaque Neptunum maximum Vlyssis hostem et vnum. Nam quod Mercurium tempestatem illi, a Phaeacibus proficiscenti, immisso vult Hyginus, l) nihil hoc ad poëtam

D 4

no-

i) Ila. o. 193.

k) ex. gr. Ila. v. 49. 59. etc. sic et ap. Pindar. Ol. I. 39. γαιοχος, conf. Vulcan. ad Callim. T. I. p. 152. et Spanh. T. II. p. 402.

l) Fabb. CXXV. p. 140.



nostrum. Qui vero infidias Dei marini et persecutio[n]es effugit? siue, vt verbis, quae in ore sunt omnium, vt[er]ar, qui nodum solvere instituit Homerus? Hic ne, homo natus, resistet Deo? hunc Vlysses vincet? hoc inuito in patriam per mediam eius ditionem, per mare, redibit? deinde vbi in Ithacam deuenierit, quis illum, qui tam diu absens totusque sine dubio mutatus fuerat, agnosceret? quis eum, vt Principem, venerabitur? quis contra procos cum illo pugnabit? Priora igitur impedimenta illa remouet fato, i. e. communi Deorum consilio *m*), quo in Ithacam redire illum decretum erat. Sic Iupiter *a.* 75.  
*ε μεν γαρ τι δυνηται αυτοι παντων - εριδ.*  
*οιος.* Reliqua fugat ope *αναγνωρισμα.* Sed haec cum nota sint, ad id, quod mirabile est  
 in

*m*) Esse fatum Homericum commune deorum consilium, videor mihi in eo obseruasse. *Ia. π. 434.* Iupiter *μοιρων* esse ait, vt a Patroclo occidatur Sarpedon, vtque hunc mortis possit eripere faucibus, optat. At insurgit contra Juno. *εριδος αταρ ετοι παντες επαινεσμεν θεοι αθλοι.* Hinc si Iupiter id, quod contra fatum facit, contra Deorum omnium reliquorum voluntatem facit: quid fatum est aliud, quam Deorum voluntas vnaminis? idem apparet Od. IX. 530. coll. *a.* 76. seqq. vti igitur sub fato intelliguntur decreta Deorum: ita Iupiter, vt concilii diuini interpres, pro fato ipso sumitur. Sic ex. gr. Il. *a.* 4. quare et ad illum sub plurimum persona preces diriguntur. Od. XX. 910. al.

in carmine epico, progredimur. Illud Deorum Dearumque interuentu, vti constat, efficitur. At Deorum in carmen introductio non placet Homio *n*). *Quamvis Homerum*, inquit, *quod Deos, in carmina sua introduxerit, religio forsan excusat*; *Graeci enim, saepe se Deos spectandos dare, negotiisque hominum interesse, credebant: non tam  
amen est negandum, parum eos carmina ornare poetae.* *Quae enim naturae fines transflunt fictiones, raro id, quod debebant, efficiunt.* *Ad tempus quidem eam, qua res nobis repraesentamus, animi vim excitant: ei vero, qui verum pulchri sensum habet, lectori placere nequeunt* Quid igitur? eiiciemus Deos Homericos rogante Homio? Is quidem apud nos esset reprehendendus, qui Iouem, Mineruam, Venerem, Neptunum, et quos non? in carmine nobis daret epico: at Homerum, qui dedit, quis reprehendat? Apud nos quidem haec talia fidem haud merentur; at merebantur apud Graecos; et his scripta erant carmina illa. Quod vero illos carminibus Homericis ornamento esse negat: cur neget, ego quidem, homo μωψ, non video. Illud sentio, aegrae me sublimitate fictionum illarum cariturum esse,

D 5

επει

*n*) Hom. Crit. T. III. p. 288. sqq.



επει Ψευδεεστιν οι ποτανηγε μαχαναι  
σεμινον επει τι, ο)

Num ηρι τηγας Martis εκελιτο? p) Num Neptunus, si Dii eiicerentur, terram tridente feriret? vt portae paterent Orci, et lux locos subterraneos illustraret, et manes contremiscerent, et Pluto folio se deiiceret, et clamorem excitaret horribilem? quid sublimius, quam cum lectorem, terrae iam pertaesum, secum rapit in coelos, et in concilio fistit Deorum? Et in periculis, vnde neque calliditas humana, neque potentia eripere valet, nonne multi, quos scenae interesse oportet, perirent, nisi Deum Deamue experirentur fauentem et auxiliantem, Aeneas annon occisus fuisset a Diomede, nisi delusisset hostes Appollo? ab Aiace Hector, nisi idem huic succurrisset? qui denique Priamus Graecorum castra sine Mercurii ope potuisset adire? Iure igitur intersunt fabulae Homericae Dii; quidque et in Odysea efficiant, indagabimus: primum, quid Neptunus, deinde Minerua, Vlyssi haec aequa, iratus ille. Didicimus statim ab initio, esse hunc Vlyssis inimicum, sed experimur demum

o) Pindarus, Nem. VII. 32.

p) I.A. s. 386. vid. Plin. Ep. IX. 26. et ibi Gesn. p. 406.

demum libro V. q). Heic cum nauigantem  
e longinquo, conficeret, εχ ιλαρον <sup>βλε-</sup>  
πει r) vt apud Amymonem, sed εχωσατο <sup>η</sup>  
εοθι μαλλον, et caput quassat iratus f) et mare  
ferit tridente, et ecce! nubium contrahitur  
densitas t) et pontus conturbatur, et omnes  
ventorum turbines corruant, et terra et mare  
caligine inuoluuntur, et caelo dependet nox.  
Vae Vlyssi! periit, et periisse quoque credit  
Neptunus; quare

ιμασεν καλλιτεριχας ππες  
ιετο δεις Αιγας, u)

Neque eum prius respiciebat, quam cum  
eum praeter spem elapsum, patriamque videt at-  
tigisse. Quid tunc? Consilia init cum Ioue: cum  
Vlyssi non potest, nocere tentat Phaeacibus,  
et nauem reducem, in saxum mutatam, vrbi,  
vt montem, inducit v). Ut tamen verum  
fatear, Neptunus in Odyssea non totus pla-  
cer,

q) Od. e. 291.

r) in Philostr. Imag. VIII. p. 774.

f) vid. S. Reu. Ernesti ad v. 376. libri V.

t) de huius descriptionis sublimitate vid. Long. π.  
ν. τμ. 9. p. 70.

u) Heic non gressus Dei numerat poeta, vt Iλ. v.  
20. Locus similis ap. Claud. R. Pros. I, 177. p. 530.

v) XIII. 127. seqq.



cet, et senem poëtam videtur prodere. En in Iliade Thétidem, Deam modo, et eam minorum geutium. Filius ab Agamemnōne leuiter tantum offendit: recta illa ad Iouem abit, querelas effundit, vltionem poscit. Quantas haec turbas dedit? quantum belli incendium excitauit? hinc Iouem ipsum inter et Iunonem rixae: hinc tot Trojanorum caedes: hinc tanta Graecorum strages, hinc Patrocli interitus, hinc vulnera Menelai, Agamemnonis, Vlyssis et omnium fere principum. At Neptuni non filium laeserat, sed oculo priuarat Vlysses: quid contra pater? tempestatem excitat, forte hostem conspicatus

*εξ Αιθιοπων αριων.*

Deinde ille, qui *εκ Σολυμων ορεων* Laertiaden vidit errantem: nonne et ille vidit Leucotheam, huic succurrentem? qui passus est, homini sibi inuiso assistere contra se Deam, imperio subiectam suo? Rursus quam placide hostis eius a Phaeacibus deducitur in Ithacam? dormit, et dormiens in terram suam exponitur: *w)* et cum iam expositus esset, tum de-

mum

*w)* Cur poeta dormientem in Ithaca exponat Vlyssem, diu multumque cogitando assequi tentau. An desperauit de exprimendo boni hominis gaudio, quo illum post XX. annorum absentiam necesse

¶ ¶ ¶

mum de irritis suis consiliis, impediendi  
Vlyssis in patriam reditus, conqueritur. Quam  
heic vigorem tuum desidero, diuine Homere?  
quam illum animi impetum? quam ardorem  
illum, quo lectores tui iam consueuerant in-  
flammari? Quin ultimam perdendi Vlyssis viam  
tentauit? quin omnes simul irarum procellas  
in

cesserat cumulari reducem? et hinc terram eum  
suam non noscere voluit? et a Minerua demum  
personata, vbi sit, discere? vbi, ne se proderet,  
reprimere debebat laetitiam. An vero, ut ab aliis  
nimiis animi commotionibus abstinuit, quae et  
singularis virtus est artificum Graecorum (vid.  
Winkelm. V. C. Ged. von der Nach. p. 21.) sic et  
maiorem laetitiae gradum exprimere noluit? Gau-  
det *ως εινος*, de patris reditu Telemachus (Od.  
π. 214.) sed et flet ille, flet quoque pater, non  
tam prae gaudio, quam lugens vterque vere, (*οδυ-*  
*γομενοτην εδυ φυσ ηλιοι, η μη -*) memor, puto  
omnium, quas exantauerat, calamitatum. Idem  
deprehendes in Penelopes salutatione, (Od. π. 232.)  
ut itaque, voluptatis aliquid luctui inesse, indicare  
velle videatur. At, inquis, et lacrymantem ob-  
fati, quod adhuc eum presserat, asperitatem dare  
poterat Vlyssem poeta. Reste, o bone! uno ha-  
bitu diffisti omnem hanc obseruationem. Quid  
itaque dicam nescio. Id scio; me profunditatem  
ingenii Homerici perspicere non posse, et somni  
huius causam ignorare. Illud certum est, eum  
non lassitudinem produxisse, vti π. 31. neque  
quenquam, qui tam certa iam spe, patriam tan-  
dem post tam longum tempus videndi fruatur, fa-  
cile somno se dare. Spes enim quam maxime fa-  
cit suspensos.



in eum effudit? Miseret quoque me Phaeacum, queis bonitas erga hospites et summum illos iuuandi studium fuit damno. Dignum hoc erat Deo, cum Vlyssen non posset perdere, de Phaeacibus sumere vindictam? At forsitan procorum manu eum cogitabat esse periturum. Sic illum Homerum, quem modo accusabamus, iterum studemus defendere, more eorum, qui, quos in amoribus suis vident, naetos excusare student ipsi!

Quid vero agit Minerua? haec tota laboret, vbique assistit vel Telemacho, vel Vlyssi, et vt apte telam exorsa erat, sic ad finem pertexuit. Quare statim ab initio appetit carminis. Sollicitam se de Vlyssis reditu ostendit: virum hunc virtute ornatum tot mala perpeti queritur, et Iouem accusat, non quidem Iunonio more, sed vti filiam decet, εδε νυ σοι περ εντεπεται φιλοι ητοε - - τι οι τοτοι ωδυσαο Ζευ. Quibus quid tenerius? quae lenior obiurgatio? Comitatur deinde Telemachum εμπορον, x) i. e. aliena naui Pylum Spartamque proficiscentem. At cur ipsa it comes? Primo, puto, vt Telemacho iuueni pruden-

x) vid. Gesn. ad Lucia. T. III. p. 529. Clark. ad β. 319.

dentiae dare possit vbiique praecepta: y) deinde vt a procorum insidiis eum defendat: denique, vt iuuenem in Nestoris domum amiciamque introducat: vbi simnl eam sub Mentoris persona profectam esse cogitare debemus. Fortasse et Mineruam comitem ei iunxit, vt non Dei Deae, sed hominis filio. Vti enim plurima in Iliade sine Dei auxilio efficit Achilles: sic pauca sine Minerua vel Vlysses vel Telemachus. Hunc postea apud Nestorem, cum manuductione eius opus non haberet amplius, relinquit, et Vlyssi parare studet redditum, et feliciter quoque reduxit. Haec eum e naufragio seruatum in Alcinoi domum per Nausicaam introducit, haec dona illi procurat, z) cum eo de procis interficiendis init consilia, dirigit illa, formam pro temporis ratione mutat, haec animum inspirat, nebula sepit, in ipsa caede excitat, Ithacensium sedat tumultus, haec denique ei domus, patriae, vxoris charitatumque omnium possessionem reddit, i. e. quod Hom. hoc carmine voluit, haec ei parat et efficit redditum. Quae omnia Deae opera haud sunt indigna, vti erat

y) vti γ. 14. al.

z) XIII. 121.



- - - αὐδῆι φαμεν

Εοτος αμφὶ δαιμονῶν οὐκ

λα a)

An vero et diis dixit minus digna? Loci quidam Iliados iam reprehensi sunt a Battasio, b) tum is, quo Minerua telum reddit Achilli, tum, quo flagellum Diomedi. His ex Odyssaea addi posse puto illum c) ubi signum missi ab Ulysses disci Dea ponit ipsa. Quid huius opera heic opus erat? nonne quis de plebe Phaeacum facere id poterat? cur adhibebat Deam? Sic etiam quid opus erat, Mineruam ipsam aedes Alcinoi Ulyssi ostendere d) quas vel puer monstrare quiuis poterat e). Quid dicam de Deomodoco, Martis Venerisque συνγραφη, de qua quoque iocatur Lucianus, f) canente. Erunt, qui hunc locum haud tristem certe, conuiuii publici laetitia excusent: erunt quoque, qui eum cum Platone reprehendant. Quid si ad αλληγορίαν multis

ama-

a) Pind. Ol. 1. 55.

b) Vol. II. p. 73. Homius Crit. Parte III. p. 296.

c) ἡ. 193.

d) Od. γ! 19.

e) ζ. 300.

f) Luci, Dial. D. XVIII. T. I. p. 245. conf. Ouid. AA. II. 561. Met. IV. 181.

amatam tantopere confugiamus? Age consula-  
mus auctorem de poesi Homerica g). Ex της  
Αρεος, inquit, και Αφροδιτης συνθσιας αγμο-  
νια συνεπηκεν, εξ εναυτων, Βαρεωντε και οξεων,  
μηναρεων αλληλοις αναλογως. Laeti Musarum  
Deo feramus liecatomben! Nunc et sacro hor-  
rore pleni ad Magistrum in hac arte maximum  
accedimus, ad te, Comes Natalis! b)

Venimus huc lapsis quaeſitum oracula rebus.

Da, Pater, augurium - - -

Fauete linguis! *Quid est tam contrarium*, in-  
quit, *quam occidere et procreare liberos, ex-  
polire et vastare, erigere et prosternere?* (cre-  
dat haec Iudeus Apella non ego) At Mars  
tamen, qui haec omnia facit, cum Venere,  
quae omnia animalia plantasque in lucem pro-  
ducit, congreditur. *Quid ex hac discordi  
coniunctione oriatur?* Nihil omnino, superue-  
niente Vulcano praecipue. Nam litigium et  
amicitia sunt Mars et Venus intelligendi, quo-  
rum utrumque opprimit Vulcanus, siue calor  
immodicus, principiaque vincit, neque ita illa  
suis funguntur viribus. (En hominis barbam!)

*Ad*

g) τ. v. p. 193.

b) Mythol.

E



*Ad exprimendum igitur, quod symmetria necessaria est rebus naturalibus, ista fabulose confinxerunt. Quid et sapere, si hoc non est?*

*Αυτομαται τοιη νερεναι αναβλυζοιεν απρητον,*

*Κητι μακαρων προχοιη νεκταρος αμβροσιην.*

*Αυτοματοι δε Φεροιεν ιον, το Φιλεσπερον ανθος,*

*Κηποι και μαλακη μυρτα τραφεντα δροσω!*

Sed iam ciuum, popularium, incolarum, aduenarum omnium, et eorum in primis Virorum Doctissimorum, quorum a nomine vsque ad ultimum, cui adscripti sunt, societatis titulum die toto non peruenitur, clamo, postuto, obsecro, oro, ploro atque imploro fidem, ut heic Nutalisne Comes suam illam sapientiam ab Auctore libri de poesi Hom. hauserit, an vero diuini sui ingenii felicitate inuenerit, haeſitantem misere iuuent, et ab hac, quae me dies noctesque coquit, sollicitudine liberent; quod qui fecerit, ille ut a Venerabili *Anticriticorum* grege pleno ore plenisque buccis laudetur, conuiuioque, quod celebabant, proximo adhibeat, efficiam. Ita igitur se, per me licet, expediant, qui volunt: queis haec non placent, Homerum *απρεπες τι* de Diis cantasse, mecum dicant, non illi quidem culpam, sed doctrinae de Diis veteri tribuentes.

Atque



Atque ita de eo, quod in epico carmine mirabile est, pro huius quidem scriptoris ratione, vidimus.

Quid in carmine Homericō deprehenditur ex historia desumptum? quae sunt, ut allegorica, consideranda? quae meliora dedit in mythologia? hac quomodo ad exornandum amplificandumque carmen est usus? Ita, digitum intende*i*) Herdero illo, Viro cuius ingenii felicitatem et iudicium acumen non possum non admirari, iam quaero, haec, tanquam corollarium addens. Proteus ille Homericus fuit vel μυητής αὐθεωπός καὶ προς πάντα σχηματιζεῖται καὶ μεταβαλλεσθαι δύναμενος, ut docet Lucianus. *k*) vel fuit ille, ut Polyaenus (Strateg. Proem. p. 6.) vult, τεν μεταβολεν τεν τεχνισματων γνarissimus, ως δελνος απαγη ηρατεων, εν αν βελοιτο. At quis est apud Homerum? est Deus, qui imitando exprimere poterat omnia:

Fit -- subito sus horridus atraque tigris,  
Squamofusque draco, et fulua ceruice Ieaena,

E 2

Aut

*i) Fragm. Samml. III. p. 153.*

*k) περι ογχης. Tom. II. p. 278. et ex hoc Cabusac.  
von der alten und neuen Tanz - Kunst, Sammlung  
vermischter Schriften iste B. 2tes St. p. 364.*



Aut acrem flammae sonitum dabit, atque ita vinclis  
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit. 1)

Sicani vel Siculi primi cum ab omni cum aliis gentibus commercio, mari vndiquaque circumfluente, fuerint prohibiti, *m)* nauium usum non habentes *n)* vnde Hom. omnem populorum culturam deriuat: immani eos ferocitate fuisse, credibile est. Eorundem tamen terra cum per se fuerit fertilissima *o)* caprasque inprimis produxerit innumeratas: ita sponte delati sunt ad vitam pastoritiam. Suos igitur eos greges vnicice amasse iisque pepercisse; ferarum contra hominumque, qui naufragiis aliisue casibus ad terram delati fuerint, carne vivitasse, verisimile est. Idem quoque de Laestrygonibus dicendum esse, docent tum testimonia scriptorum, *p)* tum appetet ex Cyclopum vicinitate. *q)* Haec igitur horum populo-

1) Virg. G. IV. p. 403. ed. Heynii.

*m)* Heic eius narrationis, cuius et Virg. Aen. III. 414. meminit, Siciliam olim cum Italia cohaesisse, non fui immemor, sed illa diu ante ab hac videtur disiuncta.

*n)* Od. IX. 125.

*o)* ib. v. 108. 122.

*p)* ap. Bochart. Geogr. p. 621.

*q)* Πεντος μετα Κυκλωπων ακηται Λαισρυγονες; inquit Ste-



pulorum in statu naturali, quem vocant, absqueulla lege <sup>r)</sup> viuentium ea est, quam historia dat, imago; Quam vero dat poëta? Cum Laestrygonem videoas apud Homerum <sup>s)</sup> sperasne, te visurum hominem, mortibus quidem agrestibus, vultu fero, oculis trucibus, coma super frontem dependente; at hominem tamen. Falleris! en pro homine gigantem! pro muliere feroci montis verticem! Quid dicam de Cyclopum natione?

Obstupui steteruntque comae et vox faucibus hausit.

Deorum sunt omnes filii: Polyphemus, Neptuni:

Heu fugite, o miseri!

Ruit ibi, terra sub pedibus tremente, Polyphemus. Quid dico? Polyphemus? est mons inambulans: saxum, quod viginti duo currus non mouissent, vel potius Tarpeio simile, leui manus impulsu speluncae aduoluit, remouetque: ad vocem eius auditam periisti: quo innitur, baculus est pinus maxima, aut malus nauis

E 3

eoī-

Steph. Byzant. ap. Holst. p. 185. conf. Cell. Geogr. Ant. T. I. p. 971.

<sup>r)</sup> Od. II. 112. conf. Iselins Gesch. d. Mensch. T. I. p. 197.

<sup>s)</sup> X. 112. seqq.



ΕΟΙΚΟΣΟΡΟΙΟ, ΜΕΛΑΙΝΗΣ.

Φορτίδος, ευρεῖης.

Mare intrat, et ecce; vix latus lambunt undae. Putasne Iouem Deorumue aliquem timere illum? imo ridet eos, et se credit maiorem, potentiores. Vii Lipara nihil aliud est, quam insula, quae nonnunquam eiicit ignes; t) quod ipse se vidisse testatur Ez. Spanhemius u) et in qua sonitus varii audiuntur: ita Atlas nihil est, quam mons admodum excelsus. Ad quid poëtae? In Lipara v) Vulcani

- - - exesa caminis

Antra - - tonant, validique incudibus iectus

Audi referunt gemitum, striduntque cauernis

Stricturae chalybum, et fornacibus ignis anhelat:

et rex fuit w) Atlas, qui

- - - θαλασσῆς x)

Πάσης βενθεα οἰδεν, εχει δε τε κιονας αυτος

Μακρας, αι γαιαν τε και ρεανον αμφις εχεσι.

Bac-

t) vid. Bochart. 1. laud. p. 572

u) ad Callim. T. II p. 201. ed. Ernest.

v) Virg. Aen. VIII. 309. Call. H. Dian. v. 47.

w) Met. IV. 532.

x) Od. u. 52.

Bacchum in remotis carmina rupibus

Vidi docentem (credite Posteri)

Nymphasque discentes

Ecce! recenti mens trepidat metu,

Plenoque Bacchi pectore turbidum

Laetatur. evoe! parce Liber

Parce graui metuende thyrso.

Fas - - sit

intrare antrum hoc, Nymphae! quod ad portum habitatis Ithacensem. *y*) Quam id est amoenum! quem sacrum horrorem incutunt hae tenebrae! ah! quam has apes, nutritias vestras, mel suum componentes cerhere suave est! quam illud sedulo in crateribus ponunt et cellulis! Video cum Homero sedilia vestra, video opera vestra artificiosa, video sacram et a nullo profanatam, qua solae exitis, portam. Video totum hoc domicilium vobis sacrum, ubi profani oculi inane vident antrum. *Bone Deus!* *z*) nonne haec omnia et in mea video terra? nonne et apud me haec assolent fieri? ubique igitur, quae ad condendum carmen sunt necessaria inuenio. Modo unus ne desit furor

*y*) Od. XIII. 103.

*z*) Fragm. Samml. III. p. 154.



*furor iste poëticus!* Miramur omnino vos, pri-  
scæ gens mortalium, et non sine pudore vos  
miramur. Vos res paruas ad sidera usque ex-  
tulistis: nobis totus ille, qui nos circumdat,  
naturæ ager incultus adhuc iacet et inaratus;  
et vos tamen nostri spoliant, et quae malorum  
summa est, spoliis uti non didicere.. Venio  
ad αλληγοριαν, cuius studio quid mirum est  
Porphyrii similes insanire, cum et in principi-  
bus Achiuis nimium eius studium reprehendi  
meminerim? Minerua, comes Vlyssis, quid  
designet, sciunt, qui nondum aere lauantur.  
Sirenum voces et Circes pocula quid aliud in-  
digitant, quam intemperantiam? neque haec,  
quae ridere video Clodium, Virum Doctissi-  
mum, a) dicerem, nisi praefisset Socrates,  
qui την Κιρκην υς ποιειν dicebat b) πολλοις  
δειπνιζοσαν. τον δε Οδυσσεα Ερμης τε υποθη-  
μοσυη και αυτον εγκρατη ουτα και αποσχομενον  
το (τε) υπερ τον καιρον των τοιωτων απτεσθαι,  
δια ταυτα γδε γενεσθαι νν. Mortem iuuenum  
maturam Apollinis, virginum Dianaæ telis ad-  
scribi constat. c) Infantes rapuisse dicitur

Auro-

a) Diff. super subl. Hom. p. 24.

b) ap. Xen. Memorab. T. IV. p. 39. ed. Lips.

c) Od. η. 64. Ιλ. ω. 602. al. Ouid. Met. VI. 216.  
Doruill. ad Charit. p. 261.

Aurora. *d)* qua imagine quae tandem est suavior? Oceanus Pater *e)* quid aliud est, quam opinio illa veterum, ex aqua producta esse omnia; quam postea Thales fecit suam. *f)* Sed quid ego post Viros doctissimos de allegoria dispuco? Ex poetis θεολογιας gentilis riulos valde auctos, vel potius totos inde deductos, nullum est dubium, cum illam ipsos, Orpheus imprimis, sacrum interpretem Deorum, homines rudes ferisque similes docuisse constet. *g)* Homerus igitur ab Orpheo aliisque, plurima de Diis, Athenagora teste, *h)* multa quoque ab Aegyptiis, ad quos venisse dicuntur, sine dubio accepit, sed ita accepit, ut hominem ingeniosum ab aliis aliquid accipere fas est. Ορφεα εν πολλοις, inquit Philostratus *i)*, ille non ubique Homero aequus, των κατα θεολογιαν υπερηφεν (Ομηρος). Μεσαιον δε εν οδαις χρησμων και μεν και Παμφω σοφως μεν ενθυμηθευτος, οτι ζευς ειη το ζωογονυν, δις

OLYB-

*d)* Winkelm. Vers. Alleg. p. 80.

*e)* Ia. §. 203.

*f)* Diog. Laert. I. cap. 1. conf. Schol. ad Pind. OI. I. I.

*g)* vid. Gesneri Proleg. p. 18. 22. seqq.

*h)* ap. Gesn. in Fragm. Orph. p. 383.

*i)* Heroic. p. 693.

F



ανιστον εκ της γης πάντα, ευθεσέρον δέ χρή  
σαμενά τῷ λόγῳ καὶ καταβεβλημένα επη εἰς τὸν  
Διὸς αὐτῶντος, εἰς γαρ τὰ τε Παμφώ επη,

Ζευ καδίσε, μεγιστὸς Θεων, ειλημενει κοπρῷ k)  
Μηλειη τε καὶ ιππειη καὶ ημιονειη.

τὸν Ομηρον ο Πρωτεστίλεως Φησιν επαιξίον τε  
Διος αὐτας υμνον,

Ζευ καδίσε, μεγιστε, κελαινεφες, αιθερι ναιων,  
εσοικυντος μεν αυτῷ το καθαρωτατον, εργαζο-  
μενά δε εμβίαια τα υπό τῷ αιθερι. Vti itaque  
non pro hoc Pamphus solum, sed et Orphei  
Ioue διφυει l) dedit Δια tum καδίσον etc.  
tum illum, quem ex eo dabat Phidias, m) om-  
nisque Graecia admirabatur; qui quid mirum  
est, quod omnibus tam mirifice placuerit, cum  
non

k) vid. Orphei Fragm. p. 393.

l) ib. p. 368. et Gesn. ad Argon. p. 7.

m) de quo vid. Ill. Haged. Betr. p. 628. Cel. Lef-  
sing. Laoc. p. 227. Klotz. V. D. Opusc. p. 158.  
et Epist. H. p. 87. vbi p. 104. de nimbis dispu-  
tatur, qui suam originem ex h. I. duxisse viden-  
tur. Cum enim artifex, vel Phidias, vel post  
eum alias, το αιθεροστον των χαιτων τε Διος expri-  
mēre tentaret: radiis illas cinxisse eum verisimile  
est. Alias saepe apud poetas ἡθεια, dicuntur λαμπραι  
et ακτινεσσιν αλιγνοι etc. vid. ap. Pierson. in Veri-  
sim. p. 164. de nimbis add. Hemst. ad Lucia.  
T. I. p. 165. Reitz. T. III. p. 478.

non apud artificem demum, sed iam apud Homerum supercilia Dei formauerit *n*) Aglaia, Gratiarum pulcherrima: ita et alia mutasse multa, alia eiecisse, addidisse alia, cuncta vero politiora et minus obscura dedisse videatur. *o*) Illius igitur carmina cum ab omnibus Graecis in tanto honore haberentur, ut iis iuuentutem suam formari vellent, ut publice in Panathenaeis aliisque festis solennioribus recitarentur *p*) immo, ut iis tanquam publicis monumentis in litibus, velut in illa de Salamine orta, vterentur: *q*), in rebus etiam ad religionem pertinentibus Homerum inprimis, vel vnum sere, adhibitum fuisse crediderim.

Restat ut quomodo Diis usus sit ad augendum carminis splendorem, inquiramus. Sublimitatem inde natam supra tetigimus. Heic quaedam addimus. Vti in Iliade pugnas incredibili varietate caedium, vulnerum, similitudinum, descriptionum, aliquie artibus, in primis vero etiam Deorum introductione, lectori gratas fecit potius, quam molestas *r*) ita

F 2 eodem


*n*) Winkelm. K. d. Alt. p. 231.

*o*) vid. Eiusd. Versl. ein. Alleg. p. 7.

*p*) vid. Dresig. Diff. de Raps. p. 43.

*q*) vid. Clark. ad Iλ. β. p. 104.

*r*) vid. Popii Versl. üb. Hom. *Schlachten in der Samm-*



eodem artificio vsus est in caede procorum,  
eamque distinxit tum turbis, thalamo, siue  
potius, conclavi, armis seruandis quod desti-  
natum erat, aperto excitatis, telis productis,  
Melanthioque incluso; tum etiam eo, quod  
Mineruam introduxit. Haec Vlyssem modo in-  
crepat, modo illi robur iniicit, modo tela auer-  
tit, modo facit alia. Eidem debemus arti,  
quod multa in coelis gesta dictaque comperi-  
mus. Phoebi boues comedenter Vlyssis socii,  
Nunciat id ei Lampetia: Ille irasci, ad Iouem  
ire, conqueri de illato damno, vindictam po-  
scere. Vnde haec sciuit ita euenisse Vlysses?  
Musae, quae Homero assistebat, eam narra-  
tionem tribuisse mus, nisi accuratius, vnde illa  
comporta habuerit, scire nos voluisset poeta.  
Nempe audierat Phoebi Iouisque colloquium  
Mercurius, a Mercurio Calypso, a Calypso Vlyf-  
ses. ⚡ Picturam Homeri aetate ad fastigium  
iam satis magnum escendisse, sunt qui ex magna  
clypei Achillei colligant arte. At et Troiani  
belli tempore eo vsque ars progressa erat illa?  
immo ne nata quidem. t) Errauit igitur Ho-  
merus

*Sammlung vermischter Schriften, zur Bef. der schö-  
nen Wissenschaft, Band. III. its St. p. 79-89.*

⚡ Od. μ. 389.

t) teste Plinio, H. Nat. XXXV. 6. T. II. p. 682.  
quam.

merus, qui tantam artis peritiam ad illa tempora retulerit. Errasset profecto, nisi Deo potius, quam Tychio aliquo, ad confidendum illud esset usus <sup>u)</sup>). Sic impune omnes, quos in pictura vel sui ingenii felicitate possidebat, vel ab aliis acceperat, thesauros proferre, impune in tam exiguo spacio totius orbis faciem includere, impune denique maxima in figuris exprimendis audacia vti, et modo oratores sermone, modo seniores sententiis se inuicem excipientes, <sup>v)</sup> modo milites proficentes, modo Fatum in pugna furens, modo iuuenes puellasque primum per urbem, deinde extenso choro saltantes dare ille poterat, Vti itaque clypeo illo carearemus, nisi Vulcanum elaborare illum voluisset; ita simul poetam, qui tam apte Diis ad splendorem carminis augendum (hoc enim clypeo suo nihil eorum, quae nondum in Iliade constituunt, expedit) Diis suis usus sit, admiramus,

F 3

Sed

quamuis illis temporibus, sine Deo, tabulas det  
Virg. Aen. l. 456. et sic sentit Webb, *Vnters.*  
*d. Sch.* p. 24.


<sup>u)</sup> vid. Popius, l. laud. p. 717.

<sup>v)</sup> Eadem audacia est in scypho Theocriteo E<sup>10</sup>, <sup>a</sup>,  
33. similis ap. Claud. R. Pros. II, 22. Sil. Ital. II,  
417. vbi vid. plura exempla Drackenborchii,  
p. 95. add. Obs. Misc. Vol. I. p. 21.



Sed iam satis, pro huius quidem scripti  
ratione! Ego, simplex homo *ναὶ καὶ μεμυημένος*,  
si venustates Musae Homericæ non ita, *vt*  
*εἰς* vel sensi vel explicare volui, explicauero:  
ignoscant eius sacerdotes. De ea quamuis pau-  
ca, atque utinam *καὶ σεμνῶν χαριτῶν αὐτερός!* scri-  
pserim: tamen si iis, quibus ea placere volui,  
placuerint atque ad Homerum cupide arripien-  
dum totumque cum gustu perlegendum eosdem  
excitauerint, satis me scripsisse putabo:

*Εἰ δέχῃς αδειὰ ταῦτα, τι μοι χρή πλειονες  
γένεσθαι;*



q

m c



Qf 2358

VDI8

ULB Halle  
008 902 267



3




S V P E R  
ODYSSEA HOMERICA

S C R I P S I T

DAVID. CHRIST. SEYBOLD.

x-rite

colorchecker CLASSIC



AM

C V R T.

mm

